Ex libris
Ferdinandi Passarin.
ex dono Aurlorij
1706

JOANNIS VIGNOLI
Petilianensis
DE COLUMNA
IMPERATORIS
ANTONINI PII
Dissertatio.

Accedunt ANTIQUAE INSCRIPTIONES
ex quamplurimis, quae apud Auctorem extant,
SELECTAE.



ROMAE

Apud FRANCISCUM GONZAGAM
ante aedem S. Marcelli in via LATA.

MDCCV.

APPROBATIONE ET PERMISSU

CLEMENTI UNDECIMO
PONT. MAX.

JOANNES VIGNOLIUS F.



Ompertum ſatis eſt omnibus, SANCTISSIME tum re ipſa, tum nomine CLEMENS, ni-

 hil

hil unquam viros literatos adoriri, & in publicam lucem emittere, quod non tibi jure optimo debeatur. Non ſacras enim tantum, quas ſummi Sacerdotii jure omnino tibi vindicas; ſed ſuas etiam reliquas lucubrationes, quibus praecipue ad humanitatem informamur, ad te, tanquam ad liberaliſsimum bonarum literarum ampliatorem, ingenuarumque artium parentem ac patronum deferre ii debent, tibique, quod non ſine magna quidem eorum nominis immortalitatis uſura eſt, inſcribere. Quod etiamſi mecum ipſe antea non reputaſ-

putaſſem, mea tamen haec Diſſertatio, quam de Columna Imperatoris Antonini Pii ſum aggreſſus, tibi a me, qualiſcunque ea ſit, nuncupanda fuiſſet. Non ſolum equidem quod illuſtre illud Romanae vetuſtatis monumentum, quod per tot ſaecula inglorium latuit, te jubente, novam hanc lucem aſpexerit, tuumque propterea omnibus titulis dici poſsit: verum etiam quod eruditae antiquitatis prae ceteris amantiſsimus, in eaque verſatiſſimus dignoſcaris. Unde factum eſt (& ad maximas profecto tuarum virtutum laudes hoc

acce-

accedit) quod aſsiduis licet Apoſtolici tui muneris curis totus adeo tenearis, ut quod Eccleſiae ritus, quod in Deum pietas & amor, quod in populum tibi commiſſum charitas exigit, nullo ſane tempore praetermittas: inſignioribus tamen quum ſacris, tum profanis priſci illius aevi reliquiis ab omni temporum hominumque injuria reparandis tam bene ſimul proſpicis, quam qui tuorum Praedeceſſorum omnium iis maxime conſuluerit. Enimvero cochlis illa in foro Trajani Columna poſita, atque alia prope viam Flami-

niam

niam M. Aurelio antiquitus dicata Paulli Tertii, & Sixti Quinti Summorum Pontificum studium non magis diligentiamque testantur, quam curam tuique animi magnificentiam immanis haec Antonini Pii Columna serae posteritati perpetuo declarabit: quum nimirum viris omnibus eruditis, qui hucusque in errore versabantur, quantum ea lucis emiserit, unicuique satis superque patebit. Ea igitur, qua peculiari quodam Numinis beneficio tam insigniter adornaris, quaque perinde, ac dignitate, ceteris mortalibus antecellis, hu-

mani-

manitate, hoc vel tenue obſequii cultuſque in te mei monumentum excipe: dum ipſe interea, pro majori Chriſtianae reipublicae incremento, totiuſque orbis tranquillitate ut diu proſpere feliciterque inter nos agas, Deum immortalem precari non deſino. Romae x. Kalend. Januar. MDCCIII.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiss. Patri Sacri Palatii Apost. Magistro.

D. de Zaulis Episcopus Verulanus Vicesg.


DISSERTATIONEM C.V. Joannis Vignolii de Columna Imperatori Antonino Pio dicata, & antiquas Inscriptiones post eandem editas legi Reverendissimae Paternitatis Vestrae jussu: ibique plurimum eruditionis solidae reperi, nihil vero Fidei Catholicae repugnans: quare typis edi posse (si ita judicaverint ii, ad quos pertinet) tuto censeo; & in rei antiquariae commodum, Urbis illustrationem, & historiae expoliendae studia feliciter id cessurum duco. In quorum fidem ex Bibliotheca Otthoboniana dabam VI. Eidus Decembris 1704.

Franciscus Blanchinus.

IMPRIMATUR

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Praedicatorum Sacri Apostolici Palatii Magister.

PRAEFATIO.



On aliud ſane minus obverſabatur animo, quam manſuetioribus Muſis diu intermiſſis, me ad illarum conſortium redeuntem novum aliquod meae imbecillitatis experimentum ab ſtudiis antiquitatum capere. Hiſce praeſertim temporibus, quibus res antiqua quum Romana, tum Graeca tot tantisque doctiſſimorum hominum Commentariis adeo eſt illuſtrata, ut ſi quis velit quicquam de ea literis conſignare, actum propemodum agere videatur. Addo exſquiſitum ſaeculi Genium, qui ne dum puriorem dicendi elegantiam; ſed & uberem rerum copiam eruditionemque; & acre in rebus examinandis ſcriptoris judicium expoſcit. Quibus ſane omnibus, ut ingenue fatear, me penitus deſtitutum eſſe intelligo: quum potiſſimum ea ſit, quo fungor,

gor, muneris ratio, ut ad alia his parum consentanea assidue me revocet. Etsi vero tum de hoc, tum de mea tenuitate ita sim ipse mihi optime conscius, ut a suscepti operis instituto me potius temperare debuissem: res attamen tulit, ut nullam prorsus istorum rationem habens, amori studioque antiquitatum, quo non parum profecto teneor, facile ac libenter, atque utinam non temere, indulgerem. Annus enim alter est, quo insigni Antonini Pii Imperatoris Columna, quam vulgus illius tantummodo fastigium antea cernens etiam tum Citatoriam perperam appellaverat, Illustrissimi viri Nicolai Judices viarum Urbis Praesidis vigilantissimi cura in primis & consilio detecta, de ea coepi curiose aliquid investigare: communique tum superioris aevi scriptorum, qui Columnam in nummis ejusdem Imperatoris caelatam ad M. Aurelii Antonini Columnam cochlidem retulere, tum nostratium Antiquariorum errore perspecto, qui nihilominus utriusque Columnae ectypum vul-

vulgo circumferentes utranque Antonino Pio afferebant, docebantque, cochlidem, quia forsan a Senatu erecta, in ejusdem nummis signari, hanc vero, quia a Marco, & Lucio ejus successoribus dicata, in iis non exprimi, calamo idcirco longe ipse aliter sentiens haud parcere potui. Hinc observationibus aliquot, quas in hanc rem scripto mandaveram, cum amicis eruditisque viris, ut fieri solet, communicatis, hi me hortari non destiterunt, ut eas protinus divulgarem. Quum vero ipsius Columnae anaglyphorum ectypus operi perquam necessarius deficeret, id fieri nullo pacto potuit. Earum proinde observationum Synopsim edidi, sperans interim, quum libera cuique eadem anaglypha delineandi facultas esset, amicorum monitis ipsius etiam operis publicatione possem quamprimum satisfacere. Res vero secus contigit. eadem nanque difficultate in dies magis magisque crescente, cui accessere tum infirma corporis valetudo, quae per octo fere menses praepeditum me tenuit,

nuit, tum Francifci amantiffimi atque optimi patris obitus, qui fuae mortis praefcius IV. nonas Octobres hujus anni fanctiffime e vita exceffit, opus huc ufque in finu fovi: ac non fine quadam profecto animi mei jucunditate id accidit: quum interea viderim, opinionem noftram, quam de hac eadem Columna, deque omnimoda illius fimilitudine cum alia, quae in Antonini Pii nummis vifitur, per Synopfim illam typis Florentinis datam jam antea patefeceram, nedum non amplius ab Antiquariis improbari, fed alienas etiam paginas iterum atque iterum implere. Haec autem ita praefari duxi, ut quae mihi fcribendi occafio, quaeque operis jam abfoluti, ac jam fere typis excufi editionem in hanc ufque diem protrahendi cauffa fuerit, Lectorem non fugiat. Atque ut de hoc quidem nihil diffimulem, anaglyphorum eorundem ectypo, qui anno fuperiori cum Calendario, & Cyclo Caefaris, a celeberrimo doctiffimoque viro Francifco Blanchino

chino illuſtrato, aeri inciſus prodiit, uti ſane commode potuiſſem. Verum vel quod ſtylobate a terra ſordibusque non ſatis tunc emundato delineata ea fuerint, vel quod pictor in iis excipiendis minus accurate ſe geſſerit, quum non ſine mendis aliquot obſervaretur, a conſilio prorſus abſtinui. Quod profecto ſi cum noſtro illum contulerit, quisque poterit facile animadvertere. In hoc ſiquidem, quod ad orientale ſtylobatis latus attinet, ubi Antonini Pii conſecratio exprimitur, globus obeliſco impoſitus non omittitur; in Zodiaco caeleſtium ſignorum ordo non praevertitur. poſt Arietem nanque non Geminos, ſed Tauri dimidium ibi recte diſpoſitum ſignatur. Unus & alter Romae ſedentis digitus, qui ejus dextrae reliqui ſunt, indicantur. ex iis enim quod Roma Genium potius Antoninum ejusque uxorem Fauſtinam altius deferentem quaſi adjuvet, quam ejusdem Imperatoris conſecrationem decernat, levi quidem negocio perſpicitur. Lauri ramuſ-

ramusculum ipsius Romae sinistrae subtrahitur, quem non habet. Tiberis sub ejus pedibus defluens, atque alia in eodem ectypo praetermissa, quae singula recensere supervacaneum quidem esset, quum oculis pateant, reddita sunt. Figurae praeterea, quae in reliquis stylobatis partibus extant, fractae atque detritae, uti ad nos pervenere, exhibentur; quod religiose ubique servatum videbis. Anaglypha haec autem angustioribus tabulis incidenda curavi, ut quicquid monumentum istud continet, uno oculorum ictu facilius perspici possit. Ceterum in novem capita dissertationem distribui, ordinemque ac methodum, quae dum Synopsim dedi, a me tenebatur, parumper praeverti. In I. enim ingredior, a vulgaribus erroribus, quibus res antiquae scatent, initium faciens: mox ad ipsam Columnam devenio, quae pariter ejusmodi erroribus non caruit: inde illius formam, & stylobatis anaglypha describo. In II. de loco agitur, ubi eadem Columna ab initio

tio posita fuit, de monte nempe Cytorio, cujus denominatio, & origo exquiritur. In III. de nummo musei Foucaultiani disseritur, qui Columnam, Antonino adhuc superstite, praefert, ejusque simul Imperatoris virtutes recensentur. IV. ejusdem consecratio, ac praecipue, quo decessit, dies occupat. In V. VI., & VII. quamplurima proferuntur, quae ad Columnae inscriptionem, ad Divi scilicet titulum consecratis delatum, & ad nomina & cognomina Antonini Pii, M. Aurelii, & L. Veri ibi insculpta attinent. In VIII. consecrationis anaglypha in parte superiori lateris orientalis incisa exponuntur. In IX. denique pars eorundem inferior explicatur una cum reliquis duobus stylobatis lateribus, ubi decursiones circa rogum Antonini Pii habitae exhibentur. Criticas vero observationes in opere adspersi, atque id non mihi quidem vitio est tribuendum, quoties nemo mihi notatus sine debitae laudis praefatione decedit; Polybii auctorita-

 tem

tem & praeceptum in hoc ſequutus, qui libro III. cap. LVIII. haec habet: *Nequaquam ſane praetermitti errores illorum debent, ſed confutare illos oportet, neque id obiter, aut carptim, verum ex profeſſo; confutare autem ſic, non ut auctores incuſes, aut in eos inveharis; ſed laudes potius, & quae fuerint ab illis ignorata corrigas: itaque apud te cogites, etiam illos, ſi ad hanc aetatem perveniſſent, multa, quae ſcripſerant, fuiſſe emendaturos, & mutaturos.* Atque in hac re quod ne magnis quidem auctoribus ignoſci debeat, docet nos Quinctilianus libro x. cap. I. Inſtitutionum: *Neque id ſtatim*, inquit, *legenti perſuaſum ſit, omnia, quae magni auctores dixerint, utique eſſe perfecta. nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum ſuorum voluptati, nec ſemper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur; quum Ciceroni dormitare interim Demoſthenes, Horatio vero etiam Homerus ipſe videatur. ſummi enim ſunt, homines tamen.* Veterum praeterea Inſcriptionum, quas ex ſexcentis propemodum, quae apud

me

me ſunt, depromptas ad calcem adjeci, delectus is, quem mihi ab initio propoſueram, non eſt omnino ſervatus, ne amicorum videlicet, ac praeſtantiſſimi praeſertim Senatorii ordinis, magnaeque doctrinae ac famae viri Philippi Bonarotae conſilium in hoc non ſequi viderer, qui quas edebam earundem Inſcriptionum numerum mihi in animo deſignatum, ut augerem, me iterum atque iterum monuerunt. Hunc igitur, qualiscunque fuerit, ingenii mei laborem, quo mihi primum in acta prodire contingit, aequus Lector libenti animo accipiat, & ſi quid minus recte conjectura, atque interpretatione ſum aſſequutus, humanum id eſſe memor ignoſcat. Romae VIII. Idus Novembris MDCCV.

INDEX
CAPITUM.

CAPUT. PRIMUM.

CAPUT. II.

non diversa. Lampridii locus de iisdem expositus. Campi Martii ad Septemtrionem extensio indicatur. Cur una pars tantum Campi Martii sit hoc nomine ut plurimum appellata. Quid monti Cytorio nomen probabiliter dare potuerit. De illius origine variae Antiquariorum opiniones rejectae. Suetonii locus a Marliano, & a L. Fauno, atque ab aliis perperam constructus. Alius Strabonis locus contra Nardinum explicatur.

CAPUT. III.

Columnam Antonino Pio vivo adhuc, non mortuo erectam fuisse, nummus musei Foucaultiani suadere videtur. Alter ex eodem museo Aelii Caesaris nummus a Vaillantio non recte Antonino Pio adscriptus. Columnae viris bello claris a Senatu in vita positae. Senatus Antonino etiamnum superstiti juremerito dicare columnam potuit. Praecipuae illius virtutes.

CAPUT. IV.

Antoninus Pius ob suam probitatem prae aliis consecratione dignus. Lydiatii opinio de illius mortis die refellitur. Ejus imperii & vitae annorum numerus. Victor ab Anna Fabra immerito reprehensus. Capitolinus adversus Casaubonum, Pagium, aliosque exponitur, & suppletur. Honores Antonino Pio post mortem delati: inter

quos

quos nova etiam illius Columnae dedicatio. Ejus cineres ubi conditi, contra Ciaconium ostenditur.

CAPUT. V.

Consecratis Divi *titulus delatus. Qui Graecis* Θεῖοι, *vel* Θεοί, *&* Ἥρωες, *Romanis* Divi. *Senatus neminem nisi mortuum* Divum *dixit; unde Angelonii, Erytii, Nardini, aliorumque opinio rejecta. Nummi aliquot Titi, ac Trajani ex Occone tanquam suspectae fidei damnantur. Suetonii locus vindicatus. Vossii opinio de tempore, quo Ovidius Augusti Apotheosim scripsit, improbata.*

CAPUT. VI.

In consecratis titulus Divi *loco praenominis usurpatus. Varia Antonini nomina. Panvinii error in fastis deprehensus. Antonini origo. Schotti Victor notatus. Cur Antoninus a Senatu* Pius *dictus, & quando.*

CAPUT. VII.

L. Verus, Pio mortuo, statim, non post mensem Augustus est dictus. Quando M. Aurelius Antonini nomen, & M. praenomen acceperit. Lucius a M. Aurelii cognomine, non patris Verus est appellatus. Apologiæ Athenagorae inscriptio expenditur. Annus Victoriae a M. Aurelio de Sarmatis relatae. Capitolini locus illustratus. L. Verus

CAPUT. IX.

JOANNIS VIGNOLI DE COLUMNA IMPERATORIS ANTONINI PII DISSERTATIO.

CAPUT. I.

Antiqua monumenta ut plurimum vulgi erroribus obnoxia. Vetus porphyreticum Medusae caput ex aedibus Columnensibus. Vulgaris Blondi aliorumque opinio de hortis Maecenatis. Templi Solis vestigium cur Turris Mesa *dicebatur. Situs Columnae Antonini Pii, antequam illa detegeretur. De eadem recentiorum divinationes & fabulae, & veterum scriptorum silentium. Anonymus Mabillonianus suppletus. Tam ipsius Columnae, quam ejus stylobatis descriptio & ectypus.*




UOD de vana & superstitiosa sui temporis religione haud falso querebatur in libro secundo de Legibus Cicero, ubi ait: *Opinionibus vulgi rapimur in errorem, nec vera discernimus*; hoc idem in veterum monumentorum reliquiis in dies contingere experimur: de quibus fallax incertumque vulgi judicium quantam ab omnibus

bus ubique fidem extorqueat, ne parvus quidem vicus ullus extat rudi aliquo illorum vestigio insignis, qui plura nobis argumenta suppeditare non possit. Porro nec Roma, cujus regiones, vias, templa, & publica quaeque ac privata propemodum aedificia tot illustres scriptores memoriae prodere studuerunt, ab hujusmodi vulgi labe vacua & immunis evasit. nam quas innumeras ad nostram usque aetatem passa est temporum rerumque vicissitudines, adeo priorem illius adspectum immutarunt, ut, loco divinationi & conjecturae dato, pro suo unicuique arbitrio libitum fuerit nomina rebus non sibi notis imponere, & anilibus quandoque fabulis vera miscere.

Quod, ne remotiora exempla petam, his poterit abunde demonstrari, quae in VII. Urbis regione a magnificis praeclarissimæ Columnensium familiae aedibus, unde ab inclyto humanissimoque Principe honorifice detentus haec in literas mitto, mihi quamproxime subministrantur. Hic etenim quod aurea olim & immanis illa Neronis domus fuisset, omni prorsus Urbis regionum ratione, & veterum scriptorum auctoritate posthabita, tenax vulgi firmaque adhuc opinio viget. Quod recens ibi & arguta ceteroquin epigraphe pervetusto atque eleganti admodum huic porphyretico Medusææ capiti subjecta manifeste declarat.





Ita pariter quae in hortis peramplae huic domui proximis, uti Antiquariorum est sententia,

 Con-

Conſtantini thermarum ruinae multae magnaeque apparent, ſecretiorem quendam ejuſdem Neronis tranſitum ad Pantheon uſque perductum, deſidioſum fabularum amator vulgus fuiſſe non dubitat.

Ingens itidem ac ſane pulcherrimum marmoreum illud ſive mulierum Senaculi; ſive potius templi Solis fragmentum, quod, ut non longe a memoria hominum diſtat, ſub vulgari *Turris Meſae* cognomento iiſdem in hortis erectum conſpiciebatur, *Maecenatis Turrim* dicebant, unde nequiſſimus idem Imperator Nero urbem flammis datam cythara perſonans abſumi ſpectaverat.

Donec vero id ſibi vulgus perſuaſum habeat, & aſſeveret, ne leve quidem poterit veritati vulnus imponere. Diſplicet hoc unum, quod viros alioquin fama atque eruditione praeſtantes, deque Romanis antiquitatibus optime meritos ſui aſſertores quandoque inveniat: qui ſibi ſcilicet recte conſulturos fore credant cum vulgo potius errare, quam quae diligenti accurataque tandem inveſtigatione comparatur, veritatem in rebus latentem inquirere. Blondus etenim, qui doctrina multaque eruditione pollens Romanas antiquitates e tenebris eruit, quum vetus idem fragmentum ejus etiam temporibus *Turris Meſa* nuncuparetur, levi admodum hujus vocis argumento ductus libenter ſuum vulgi ſententiae calculum addidit: & Exquiliis in Quirinalem quodammodo translatis, haec in libro I. num. c. Romae

In-

Instauratae protulit: *Extat*, inquit, *pene integra turris, ex qua Suetonius Tranquillus Neronem scribit spectasse urbis incendium, & in scaenico habitu decantasse. Quam turrim vulgo nunc verbo, ut ferme in omnibus multarum syllabarum nominibus assolet, syncopato*, Mesam *pro* Maecenatianam *appellant. Sicut pontem Milvium pari corruptela* mollem *dicunt. Nec est in ea regione femella, quae quid fuerint illae ingentes ruinae interrogata non dicat, eam fuisse turrim, ex qua Nero crudelis urbem incendio flagrantem ridens gaudensque spectavit.* Quam tamen denominationem, si cum Donato lib. III. cap. XV. Romae veteris, & recentis ad anteriorem Senaculi mulierum partem veteres ejusmodi reliquias attinuisse velimus: de quo Lampridius in Elagabalo cap. IV. *Fecit & in colle Quirinali Senaculum, id est mulierum Senatum, in quo ante fuerat conventus matronalis, solennibus duntaxat diebus*: vel a Maesa Elagabali avia, quae una cum Soaemiade illius matre in eo praesederat; vel, aliam ut ipse etiam conjecturam adjiciam, ab Emesa clarissima Syriae urbe, ejusdemque Elagabali patria derivatam putarim. Atque hoc idem prorsus dicimus, si cum iis sit nobis potius sentiendum, qui ad Solis templum, quod Aurelianus de Zenobia Palmyrenorum Regina victor ac triumphator magnificentissimum Romae excitaverat, eadem rudera spectasse arbitrantur. Aurelianus enim, ut Vopiscus refert

fert in ejus vita cap. xxv. Zenobiam, ejusque socium Zabam juxta eandem urbem devicit: ibique Sol in maximo honore cultuque habebatur: sub ovali nempe lapidis figura, uti scribitur ab Herodiano lib. v., & nummus ejusdem civitatis declarat: qui anno secundo imperii Antonini Caracallae percussus apud Tristanum habetur tom. II. pag. 220: quemque Jo. Vaillantius celebris rei nummariae pene universae illustrator iterum retulit tom. II. numismatum Coloniarum pag. 36: adeo ut probabile admodum esse videatur, quod eadem Orientali victoria, quae Aureliano occasionem praebuit, hoc templum ut Soli dicaret, ibi literis insculpta; temploque deinde pene diruto, ad sequiora usque tempora inscriptio, aut Emesae saltem urbis, prope quam res prospere ac feliciter cesserat, nomen pervenerit, illudque ei vulgus indiderit: & quum ad turris formam fragmentum illud quamproxime accederet, in earundem vocalium collisione, quae in ore vulgi fieri assolet, illarum una deperdita, *Torre Mesa* pro *Emesa* typis Italicis facile fuerit consignatum.

Sed jam longe nimis procederem, si de antiquis rebus inane vulgi judicium indicaturus exemplis nunc aliis rem persequi vellem: quae mihi sane plurima praebere jam posset tum ipse Blondus; tum reliqui ejus aetatis urbis Ichnographi, atque innominatus praesertim Auctor in suo *de Mirabilibus Romae* libello, qui, uti monet Georgius Fabricius

cap. I.

cap. 1. de Roma, *ad decipiendos illiteratos homines confictus*, etiam tunc temporis vulgo circumferebatur. Neque aliter quidem de fabulis, quibus abundantiſſime ille ſcatet, ſentit quoque vir eximius Bernardus Montſauconius, qui in ſuo Diario Italico eum nuper evulgavit.

His propterea, ceteriſque aliis hanc in rem teſtimoniis praetermiſſis, quae vulgi errores, quibus ut plurimum vetera monumenta laborant, demonſtrare aeque poſſent: haec Antonini Pii optimi Imperatoris ſub longe optimo, &, ſi ejus clementia ſpectetur, Piiſſimo Clementiſſimoque PONTIFICE Columna hiſce diebus in campo Martio detecta, de qua mihi inſtitutus eſt ſermo, omnium ſane maximum eſſe poterit argumentum.

Haec etenim, utpote quae terra ac ſuperaedificatis domibus undique obruta, longo annorum ſpatio neglecta atque omnibus ignota delituit: quaeque veluti qui e naufragio caput exerit, id ſui tantum noſtro exhibebat obtutui, quod opem imploranti ſufficeret; etſi e ruderibus ſummam tantum ſui partem proferret: nonnulli tamen cum vulgo potius ſentientes ſibi jam ſatis id eſſe putarunt, ut peregrinum novumque ei nomen imponerent. Alii nanque, ac ſi apud veteres Romanos peculiaris quaedam columna extaſſet, cui forenſes litigatorum dicae affigerentur; vel e cujus faſtigio praeco ad ſuffragia in Septis danda Centurias, ſive Tribus citare con-

consuevisset, Citatoriam illam dixerunt. Nonnulli vero, & praesertim Famianus Nardinus, diligens ceteroquin Romanorum antiquitatum indagator, lib. VI. cap. VI. de Roma, unam ex iis esse sunt arbitrati, quae proximam Europae porticum sustinebant: atque alii alia de ea nuper, quos ingenium, & eruditio non minus fefellit, ne feliciori quidem omine auspicati fuisse videntur.

Gaudet nunc tamen, & meliori aetate fruens omnes vulgarium id genus errorum absolvit: dextramque laeta veneratur, quam sui tandem adjutricem sensit ad emergendum: praesens nimirum sapientissimi Pontificis jussum, qui tum ad sui populi animos moresque exemplo excolendos, tum ad aeternae suae Urbis decora in dies magis magisque augenda sedulo incumbens, dum vetustioribus Ecclesiae templis reparatis, neglectum honorem cultumque iis reddi; novos ad Tiberim portus excitari; & nobiliora quaeque veteris artis Romanaeque magnificentiae indicia restitui curat: Columnam hanc quoque hactenus absconditam; a vetustis scriptoribus sane omnibus, ut mox repetam, silentio praetermissam; & sibi uni, tanquam Romanarum antiquitatum instauratori, non sine fato quodam servatam, proximo superiori mense Novembri detegendam mandavit. Quod quam felix quantoque eruditae antiquitatis emolumento sit consequutus effectus, tum operis pulcritudo & majestas, tum Columna ipsa in nummis

mis quidem visa, sed non satis hucusque perspecta; tum potissimum loci situs, ubi assurgit, qui tot etiam, ut postea videbimus, erroneis vulgi opinionibus patuit, ad veterem usque Urbis planitiem reseratus, perpetuo docebunt.

In hoc autem animadvertimus non multum sane vetustis scriptoribus nos debere; quum qui ex iisdem, qui aliquam ejus mentionem fecerit, nemo prorsus occurrat, adeo ut sibi nonnulli propterea persuasum habeant, quod eadem non ita multo post sui elevationem fuerit ingentium aedificiorum ruinis obruta: & quum non amplius in conspectum hominum caderet, brevi proinde ejus memoria interciderit. Quod quidem, non ex collapsis autem domibus, sed ex terra illuc delata, ut suo loco dicetur, ante quartum saeculum contigisse, ex eo deducimus, quod ab illius aevi scriptoribus, ac praecipue a P. Victore, Sex. Rufo, & a Sex. Aurelio Victore, qui columnas alias in perpetuam rei alicuius memoriam tunc in Urbe extantes recensent, silentio praeteritur, uti non alia de caussa a recentioribus Urbis Ichnographis pene omnibus factum esse putamus.

In IV. praestantissimi viri Joannis Mabillonii Analectorum volumine quaedam veteris Anonymi, qui circa IX. saeculum floruit, regionum Urbis descriptio extat: ubi inter alia, quae per id tempus antiqua monumenta adhuc Romae conspiciebantur, haec habentur.

Via Lateranense.

Scī Laurentii in Lucina.

.. TONINI *Obolifcum*, hoc eft, *Antonini Obelifcus.*

Columna Antonini.

Ubi per *Columnam Antonini* M. Aurelii Antonini columna cochlide defignata, inde videri alicui poffet, quod per *Antonini Obelifcum* nonnifi noftram hanc columnam Anonymus ille indicare voluiffet. quum inter aedem S. Laurentii in Lucina, & M. Antonini columnam praeter illud non aliud Antonini Pii monumentum fuiffe fciatur: quodque is ita eam vocaffet; five ut inter utranque horum Antoninorum columnam difcrimen aliquod faceret; five quia quum eodem, quo obelifci, lapidis genere ea conftet, ita forfan tunc temporis cognominabatur: uti contra fequiori aevo a Graecis factum effe videmus: qui obelifcum quandoque columnam dixerunt, uti de obelifco, quem in circo Byzantii Theodofius erexerat, Graecum epigramma teftatur ei olim fubjectum, quod legitur in Thef. Grut. pag. CLXXXV. 6. ibi nanque Κίων, id eft *Columna* appellatur.

ΚΙΟΝΑ. ΤΕΤΡΑΠΛΕΥΡΟΝ. ΑΕΙ. ΧΘΟΝΙ
ΚΕΙΜΕΝΟΝ. ΑΧΘΟΣ
ΜΟΥΝΟΣ. ΑΝΑΣΤΗΣΑΙ. ΘΕΥΔΟΣΙΟΣ
ΒΑΣΙΛΕΥΣ
ΤΟΛΜΗΣΑΣ. ΠΡΟΚΛῳ. ΕΠΕΚΕΚΛΕΤΟ
ΚΑΙ. ΤΟΣΟΣ. ΕΣΤΗ
ΚΙΩΝ. ΗΕΛΙΟΙΣ. ΕΝ. ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ. ΔΥΟ.

Quod

Quod a Latino Latinio Considerat. VII. super Obeliscis Michaelis Mercati sic vertitur:

Pondus humi aeternum quadrata mole Columnam
Theudosius princeps munus ut erigere est
Ausus, mandavit Proclo, tantamque columnam
Ter decima erectam luxque secunda dedit.

Propterea in Graecorum epigrammatum Anthologia edition. Joannis Brodaei lib. IV. pag. 488. titulus hic eidem epigrammati praeponitur: quem pariter apud laudatum Latinium ibidem conspicere licet: Εἰς τὸν ἐν τῷ ἱπποδρόμῳ τετράπλευρον κίονα. *In Columnam quadrilateram, quae est in Circo.*

Nos autem per ejusmodi Obelisci designationem existimamus potius, laudatum Anonymum de Augusti Obelisco intellexisse, qui pariter Clementissimi PONTIFICIS beneficium implorans, ab hac Columna non procul, inter Sancti Laurentii in Lucina aedem, & alterius Antonini, hoc est M. Aurelii Columnam cochlidem gravi molestoque domorum pondere pressus jacet adhuc: quemque idem Anonymus immediate post aedem eandem, nulla Augusti, vel Antonini mentione facta, paullo ante descripserat. At vero, ne ibi Antonini nomen solitarium atque ociosum fuisse credamus: dicendum tunc erit, quod nedum prior illius syllaba; sed alia etiam vox integra in veteri codice perierit: qua non haec equi-

dem Columna; sed Antonini, Marci nimirum, Arcus exprimebatur: quem Augusti obelisco proximum, atque inter S. Laurentii in Lucina aedem, ejusdemque M. Antonini Columnam cochlidem in via Flaminia erectum, usque ad Alexandri VII. Pont. Max. tempora sub vulgari nomine *di Portogallo* Roma conspexit. Ita vero eandem Anonymi lacunam implentes:

Via Lateranense.
Sci. Lavrentii. In. Lvcina
*Arcus An*tonini. Oboliscvm
Colvmna. Antonini

ad nostrae Columnae descriptionem tandem devenimus.


Haec igitur, uti superius nos dicebamus, quemadmodum obelisci, marmore rubeis maculis intermixto constat. Quod marmoris genus a Syene celeberrima Thebaidis urbe Syenitem Latini appellarunt, ut a Plinio lib. xxxvi. cap. viii. declaratur. Statius lib. iv. Sylvar. vers. 26.

aemulus illic
Mons Lybis, Iliacusque nitent, & multa Syene
Et Chios, & glauca certantia Doride saxa.


Praeterea eadem omnibus, quibus hodie Urbis templa, & porticus exornantur, solidis columnis sua saltem crassitudine facile praestat. altitudo quippe illius ped. l.; imi scapi crassities vi.; ambitus vero

ped.xx.


Oriens


Occidens
DIVO·ANTONINO·AVG·PIO
ANTONINVS·AVGVSTVS·ET
VERVS·AVGVSTVS·FILII


Meridies




septemtrio

ped.xx. excedit. Atque insigni quidem admodum, utpote ex unico integroque Pario marmore, minimeque vulgaris magnitudinis stylobate gaudet, qui elegantissime insculptus undequaque latitudinis pedes XII. habet, altitudinis vero XI. In hujus priori facie occasum aestivum versus uncialibus literis aere olim obductis, ut apparet, haec sese offert inscriptio:

DIVO.ANTONINO.AVGVSTO.PIO
ANTONINVS.AVGVSTVS.ET
VERVS.AVGVSTVS.FILII

In altera vero, quae Orientem spectat, ipsius Antonini Pii consecratio anaglyphice designatur: mox reliquis duabus lateralibus partibus, funebris equitum peditumque decursio exhibetur. quod ut melius conspiciatur, illius apographum sub oculos ponimus.

CAPUT. II.

Mons Cytorius unde sic dictus, Antiquariorum dissensio. Septorum situs apud eosdem incertus. Eadem Septa Villae publicae proxima. Quid Villa publica, & ubi. De numero interfectorum a Sylla Valerius Maximus, & Seneca inter se compositi. Aedes Bellonae a Villa publica non distans. Septorum, & Villae publicae situs demonstratur. Septa Campi Martii ab Agrippianis non diversa. Lampridii locus de iisdem expositus. Campi Martii ad Septemtrionem extensio indicatur. Cur una pars tantum Campi Martii sit hoc nomine ut plurimum appellata. Quid monti Cytorio nomen probabiliter dare potuerit. De illius origine variae Antiquariorum opiniones rejectae. Suetonii locus a Marliano, & a L. Fauno, atque ab aliis perperam constructus. Alius Strabonis locus contra Nardinum explicatur.



Ed quoniam praeclarum & insigne hoc monumentum ea pars Campi Martii sibi vindicat, cui Cytorii Montis nomen est inditum: antequam illius expositionem aggrediamur, operaepretium nos esse ducimus de hujus montis nomine atque origine nonnulla praemittere. Quanvis enim Topographicas Urbis chartas apud recentiores legentibus frequens locus iste sese offerat: adeo tamen erroneis ac vulgaribus conjecturis ipse pariter obnoxius esse

esse videtur, ut si quid novi in medium de ipso proferam, rem tibi, Lector, me non ingratam facturum confido.


Unde igitur huic monti, quem quis tumulum, vel aggerem ob lenem ejus elevationem rectius dixerit, hujusmodi denominatio advenerit, omnes quidem Urbis Topographi, in eadem tamen arena versantes, adhuc secum conflictantur. Quidam enim *Citatorum* olim denominatum fuisse dicunt: quia Populus Romanus Magistratuum creandorum caussa vel eo citatus ad suffragia ferenda accederet; vel quia postquam ea tulerat, illuc conveniret. Ita sentit Blondus lib. II. num LXXI. Romae Instauratae: quem plurimi sequuntur, inter quos etiam Franciscus Polletus in sua historia Fori Romani lib. V. cap. VIII., ubi ait: *Ferebantur autem suffragia (quorum Palamedes auctor perhibetur) in Campo Martio, ponte tabulato extructo, in quem ascendebant singulae per vicem Tribus, aut Centuriae, datisque suffragiis in aliam campi partem transibant: qui locus mons Citatorum vocabatur.* Alii vero vel *Septorum* a proximis Septis; vel a suffragiis acceptandis *Acceptorum*, seu *Acceptabilem*, uti legitur apud superius mihi laudatum virum Montfauconium cap. XVII. Diarii Italici, in diplomate quodam Urbani III. Pontif. Max. Veronae dato IV. Kal. Martias anni 1187.; & apud Wadding. tom. V. Annal. Minor. in alia Martini V. Constitutione: postea vero,

corru-

corruptela, ut ajunt, nominis facta, *Cytorium*, vel *Cytorum* appellatum pro certo exploratoque affirmant. Qua tamen auctoritate id nobis persuadere ipsi velint, ne ulla hucusque sane apparuit. nullus etenim apud vetustos scriptores sive mons, sive alius in Urbe locus occurrit, qui *Citatorum*, vel alia ejusmodi appellatione designetur; sed ea tantum conjectura id assequi nituntur, quod scilicet ad Septa omnino pars haec Campi Martii attinuerit: quo & citabatur populus ad Magistratus creandos, & vota illius ibidem acceptabantur. Quam tamen a recto veri tramite aberraverint, nos infra pro virili demonstrare conabimur.

Prius vero de Septis, etsi res omnibus nota, libeat mihi pauca praefari. *Septa*, inquit Servius ad Eclog. I. Vergil. vers. 34. *proprie sunt loca in Campo Martio inclusa tabulatis: in quibus stans Populus Romanus suffragia ferre consueverat.* Haec autem & *Ovilia* appellata saepe occurrunt; non quod ibi exstructa fuerint, ubi Romulus pecora paverit, ut Beroaldus in eundem Vergilii locum censuit; sed quia antequam Lepidus marmoreis porticibus illa exornasset, ligneis cancellis, veluti quidem ovium stabula undequaque claudebantur, sicuti in argenteo Liciniae gentis denario sunt expressa: qui etiamsi a Fulvio Ursino viro doctissimo, aliisque rei nummariae scriptoribus pluries fuerit abunde expositus & evulgatus, non abs re tamen est visum, hic illum denuo delineatum producere.

En



En ibi lignei cancelli, & pontes, quos C. Marius in ſuo Tribunatu plebis, qui contigit anno U. C. DCXXXIII., ne cui alteri praeter ſuffragatorem illic conſiſtendi ad poſtulandum rogandumque locus eſſet, ſua lege anguſtiores fieri juſſit: quos ſupra ſuffragator apparet, qui, a Diribitore tabella accepta, mox ſuum in ciſtam ſuffragium conjicit. De quo quum uberrime Nicolaus Grucchius in ſuo eruditiſſimo de Comitiis Romanorum libro, Onuphrius Panvinius in lib. de Civitate Romana, ubi de iiſdem Comitiis agit, & Thomas Dempſterus apud Roſinum lib. VIII. Romanarum Antiquitatum, aliique praeterea non pauci erudite, atque abunde etiam diſſeruerint: hoc unum ex praemiſſis mihi ſupererit adnotandum, quod pro Comitiis duntaxat haec deputata loca fuere, ut ex Dionis lib. LIII., & ex Servii loco ſuperius allato manifeſte deducitur; non vero pro jure dicendo, & cauſſis cognoſcendis, ut inter ceteros Montfauconius cap. XVII. Diar. Ital. putaſſe videtur. Judicia nanque jam alibi exerceri ſolebant,

bant; vel scilicet in Foris: unde Martialis lib. III. epigr. XXXVIII.

Caussas, inquis, agam Cicerone disertius ipso:
Atque erit in triplici par mihi nemo Foro.

vel in Basilicis, & Curiis, ut ex Vitruvio lib. V. cap. I., & II.; vel, si de criminalibus caussis agebatur, in Secretariis, ut habetur ex Cod. lib. III. tit. XXIV. leg. III. *Eo, qui in crimen vocatus erit, ne quas ante probationes injurias patiatur, sedendi quoque in aliqua Secretarii parte, quæ judicibus inferior, altercantibus vero superior esse videatur, habituro licentiam:* & §. ultimo: *Sedendi quum celebratur cognitio in Secretariis judicantium jus consequatur.* Lactantius itidem in libro de mortibus Persecutor. cap. XV. *Tormentorum*, inquit, *genera inaudita excogitabantur, & ne cui temere jus diceretur, arae in Secretariis, ac pro tribunali positæ, ut litigatores prius sacrificarent, atque ita caussas suas dicerent.* In Septis vero, si Consules, Tribuni, Censores, Aediles, aliique hujusmodi Magistratus creandi essent, Comitia habebantur, ut ex Dione, & Servio praecitatis locis clarissime patet.

Septa haec autem in qua parte Campi Martii posita fuerint, non eadem Antiquariorum sententia constat. Nardinus lib. VI. cap. VI. inter Cytorium, aedemque S. Mariae in Aquiro ea statuit; Blondus loco superius allato in area Flaminia, ubi M. Aurelii Columna conspicitur: *Campi Martii*, ait, *de quo*

quo infra diffuſe dicemus, *Comitiorum locus ignoratur. Sed quando res poſtulat, eo in loco dicemus, ubi nunc Columna cochlis extat, quam Antoninum Pium Aurelium poſuiſſe conſtat.* Donatus vero lib. I. cap. XXII. ab aquae Virginis, nunc Trivii fonte, ad collem propemodum Hortulorum juxta aedem S. Andreae vulgari cognomento *delle Fratte* ea producere non dubitavit; hoc argumento ſuffultus, quod vulgaris ejuſmodi vox jam Septis Latine reſpondeat. quae vero ſive ab hortorum ſepimentis, quibus ea olim pulcherrima Campi Martii regio ceſſerat; ſive ab aquae Virginis ductibus derivata fuiſſe non dubito: qui aquaeductus quoniam ibi praerupti apparebant, *Forma Virginis Fracta* nuncupabantur, uti apud Anonymum Mabillonianum regiones Urbis deſcribentem legitur.

Haec equidem de Septorum ſitu, unde Cytorii nominis originem repetunt, incerta & varia Antiquariorum omnium opinio eſt. Verum quam ei veterum Scriptorum auctoritas refragetur, ſatis inde apparebit. Lib. III. cap. II. de Re Ruſtica ea nobis Varro non procul a Villa publica deſignat: quae perampla domus erat, *ubi primum*, ut apud P. Victorem ex Livio lib. IV. cap. XXII. legitur, *populi Romani cenſus eſt actus*: utque ex eodem Livio pluribus in locis habetur, hoſtium legati, quibus in Urbem denegabatur ingreſſus, hoſpitio recepti publicis alebantur expenſis. Hujus Villae ectypus in argenteo pariter

familiae Didiae, & Fontejae nummo habetur, quem ſubjectum hic damus.

Quin adeo huic Villae proxima Septa fuiſſe innuit Varro, ut poſtquam in illis ſuffragium ipſe tulerat, eo ſe contuliſſe referat, tanquam in locum ob nimiam vicinitatem quammaxime commodum, ut amico candidato, qui Aedilis erat renunciandus, officii cauſſa praeſto eſſe poſſet: *Comitiis*, ait, *Aediliciis quum ſole caldo ego, & Q. Axius Senator Tribulis ſuffragium tuliſſemus, & candidato, cui ſtudebamus, vellemus eſſe praeſto, quum domum rediret; Axius mihi, dum diribentur, inquit, ſuffragia, vis potius Villae publicae utamur umbra?* E quibus quum, ſuffragiis latis, eo ſecedere quoquo vellent, in ſuffragatorum arbitrio fuiſſe eliciatur: manifeſtus proinde illorum error evincitur, qui Centuriis poſt ſuffragia lata, ne cum aliis eadem laturis commixtio aliqua eſſet, praecipuum certumque locum, Cytorium nempe, lege adſignatum fuiſſe ſcribunt. De quo Blondus loco dudum citato num. LXXI. audiatur: *Campi Martii*, inquit, *proprium fuiſſe locum*,

locum, in quo ſuffragia deligendis Magiſtratibus ferebantur : & tumulum, qui poſt eam Columnam, hoc eſt M. Aurelii, *& occidentalem plagam verſus, corrupte nunc Acceptorum dici, quum fuerit mons Citatorum: eorum ſcilicet, qui poſtquam citati tulerant ſuffragia, ne laturis ſe immiſcerent, & cui faviſſent dicere poſſent, per dictum tranſeuntes pontem ſeparabantur.*

Haec tamen Villae publicae cum Septis proximitas ex iis, quae paullo infra Varro ſubdit, apertius deducitur. ibi enim Appium Claudium Augurem in ſubſelliis ſedentem inveniſſe ſe ait, ut Conſuli, qui in Septis tunc praeerat, ſi quid uſus popoſciſſet, praeſto itidem eſſe poſſet: & cap. VII. *Interea*, inquit, *venit apparitor Appius a Conſule, & Augures ait citari. Ille foras exit e Villa.* Item cap. XVII. *Interea redit ad nos Pavo, & ſi vultis, inquit, anchoras tollere, latis tabulis ſortitio fit Tribuum, ac coepti ſunt a praecone renunciari quem quaeque Tribus fecerint Aedilem. Appius confeſtim ſurgit, ut ibidem candidato ſuo gratularetur.*

Quare quum maxima ex his quidem Septorum Villaeque publicae vicinitas inferatur: modo ejuſdem Villae poſitio, unde & Septorum ſitus dependet, erit mihi inveſtiganda. quam utique idem Varro libro ſuperius relato cap. II. ita nobis indicat: *Praeterea*, inquit, *quum ad Rempublicam adminiſtrandam haec ſit utilis, ubi cohortes ad delectum Conſuli adductae*

ductae confidant, ubi arma ostendant, ubi Censores censu admittant populum, tua, inquit, hæc in Campo Martio extremo *utilis, & non deliciis sumptuosior, quam omnes omnium Reatinae*. In extrema igitur parte Campi Martii Varro Villam publicam collocat. Quod haec vero Campi Martii extremitas non ea sit, cui collis Hortulorum, ut Donato placuit; sed cui Capitolium imminet, ex sequentibus fiet quoque abunde manifestum.

Sylla de Mario victor Urbem ingressus, metuque omnibus, atque iis in primis, qui pro Mario steterant, injecto, quum qui illius factionis militum remanserant, ei sese bona fide dediderint, in Villa publica illos inermes congregari, ibique omnes crudelissime neci dari mandavit. Tristes vero & lamentabiles eorum voces in aede Bellonae, quae, ut infra ostendam, etiam ad Capitolii radices extabat, tanquam in loco Villae publicae proximo exauditas fuisse, ita lib.I. de Clementia cap.XII. Seneca prodidit: *quis tamen unquam tyrannum tam avide humanum sanguinem bibit, quam ille*, nempe Sylla, *qui septem millia civium Romanorum contrucidari jussit? Et quum in vicino ad aedem Bellonae sedens exaudisset conclamationem tot millium sub gladio gementium, exterrito Senatu, Hoc agamus, inquit, P. C., seditiosi pauculi meo jussu occiduntur*.

Haec sane omnia, ut observo, Nardinum virum eruditissimum omnique laude dignum minime fu-

ſugerunt. verum quum Valerius Maximus lib. IX. cap. II. non ſeptem millia, ut ait Seneca, ſed quatuor civium legiones a Sylla in Villa publica perditas fuiſſe tradat: hinc quod Seneca non de hac caede in Villa publica habita loquatur, ſed de alia, quae, eodem Sylla auctore, forſan alibi contigerat, eſt arbitratus. *Quatuor legiones*, ſcribit Valerius, *fidem ſuam ſequutas in Villa publica (quae in Campo Martio erat) nequicquam fallacis dextrae miſericordiam implorantes interfici juſſit*. Enimvero interfectorum numerus a Valerio datus nimis, ut videtur, exorbitat. nam Villa publica, quantunvis magna ac perampla domus eſſet: attamen quod tot hominum millia, quot quatuor legiones componere ſolebant, excipere in ſe poſſet, haud facile quis ſibi perſuadebit. Quapropter vel id vitio ipſius Valerii eſt tribuendum, quem vir acerrimi judicii Joannes Perizonius initio ſuarum Hiſtoricarum Animadverſionum *non raro in priſcis rebus caeſpitantem, & incuriae manifeſtum* arguit; vel quod in hunc Valerii locum mendum aliquod irrepſerit, eſt dicendum: quemadmodum Lipſius lib. II. elect. cap. XI. non ſemel apud hunc auctorem in numeralibus praecipue notis ſe obſervaſſe profitetur; vel quod denique non quatuor legiones integrae, ſed ſeptem ex iis reliqua hominum millia tantum fuiſſent, cenſeri debet. Quod Plutarchus in Sylla, Guarino interprete, firmat. *Nos tamen*, ait, *& alios, qui ſupererant ad ſex millia in Circo congre-*

gat, Senatum in aede Bellonae vocans. Eodem tempore & Sylla orationem in Senatu exorſus eſt, & quibus negocium datum erat, ſex illa millia truncabant. Ubi quum Plutarchus in Circo id peractum fuiſſe ſcribat, facile proinde alicui videri poſſet, hanc non eandem caedem eſſe, quae in Villa publica aedita a Sylla fuit. At ſi quis rectius ipſius Plutarchi textum obſervaverit, id ſane nullum ei ſcrupulum injiciet. Ibi enim non ἐν τῷ ἱπποδρόμῳ *in Circo*; ſed παρὰ τὸν ἱππόδρομον *prope Circum* legitur, Flaminium ſcilicet, qui medius inter Villam publicam, & aedem Bellonae poſitus erat. Eadem de cauſſa, ob locorum nempe vicinitatem, etiam Lucanus lib.II. Pharſal. verſ. 196. non in Villa publica, ſed in Septis ei proximis hoc eveniſſe, poetica uſus libertate ita cecinit:

Tunc flos Heſperiae, Latii jam ſola juventus
Concidit, & miſerae maculavit Ovilia Romae.

Quod Seneca igitur, & Valerius in hoc interfectorum numero adſignando tam inter ſe diſcrepent, non ideo inferri debet, quod caedes, quae ab utroque refertur, non una eademque fuerit. nam ſi ex diſpari caeſorum numero, qui plerunque ex vario incertoque vulgi rumore pendet, rei factique diverſitas inducenda foret, jam non unam, ſed tot civium ſtrages in Villa publica Syllam edidiſſe ſequeretur, quot ſunt ſcriptores (nec pauci quidem ſunt) qui rem hanc memorant. Horum enim fere nullus, ut mox patebit,

bit, in occiſorum numero alteri conſtat. Flor. lib. II. cap. XXI. *Sylla*, ait, *quatuor millia deditorum civium in Villa publica interfici juſſit*; Epitome Liviana lib. LXXXVIII.: *Octo millia deditorum in Villa publica trucidavit*; Auct. de Vir. Ill. cap. LXXVII. *Novem millia deditorum in Villa publica caecidit*; Plutarch. ut vidimus, ſex millia; Strabo lib. V. vel tria, vel quatuor millia; & S. Auguſtin. lib. III. de Civit. Dei cap. XXXVIII. cum Seneca convenit. Verum de hoc omne dubium evellit Dio lib. I. in Excerpt. Peireſcii pag. 657.: ubi & in Villa publica id eſſe peractum, & occiſorum gemitus in aede Bellonae exauditos fuiſſe aperte declarat. Quem locum mss. quibuſdam notis debeo Nardini margini appoſitis a viro doctiſſimo Marcello Severolio, quem honoris cauſſa nomino. Poſſet inſuper Villae publicae cum aede Bellonae propinquitas haberi ex Liv. lib. XXX. cap. XXI., ubi: *Q. Fulvius Gillo Legatus Scipionis Carthaginenſes Romam advexit, quibus vetitis ingredi Urbem, hoſpitium in Villa publica, Senatus ad aedem Bellonae datus eſt*. Atque hoc etiam ex eodem Livio habetur lib. XXXIII. cap. XXIV. Nec enim quod in aede Bellonae Senatum iis dari mos eſſet, ratio quidem alia praeter locorum proximitatem adeſſe mihi videtur. Fulvius propterea lib. IV. Romanarum Antiquitatum, *Per haec verba*, nempe Livii, *Villam publicam, & aedem Bellonae non multum diſtantes inter ſe fuiſſe credendum eſt ſub Capitolio.*

Aedes vero Bellonae a P. Victore in Regione IX. versus portam Carmentalem describitur : ibique, in summitate nimirum Circi Flaminii etiam ab Ovid. lib. VI. Fast. vers. 205. collocatur: ubi de columna, quae in illius aedis area belli inferendi index extabat, haec habet:

Prospicit a templo summum brevis area Circum,
Est ubi non parvae parva columna notae.

Propterea recte Nardinus juxta Monasterium, quod *Speculorum turrim* dicunt, illam statuendam esse putavit. adeo ut illinc non longe, post Circum nempe Flaminium, qui ad *Officinas* quas *Obscuras* dicunt terminabatur, Villam publicam: inde ad dextram ei proxima Septa, a S. Marci scilicet area ad S. Ignatii templum usque fere producta, sint animo effingenda. Cui & alius Varronis locus, quo eundem lib. III. de Re Rustica claudit, mire consonat. *At strepitus*, inquit, *a dextra, & eccum recta Candidatus noster designatus Aedilis, cui nos occurrimus, & gratulati in Capitolium prosequimur.* Ita quoque nec Septis vicina Isidis aedes deerit: de qua Juvenalis sat. VI. vers. 525.

si candida jusserit Io
Ibit ad Aegypti fines, calidaque petitas
A Meroe portabit aquas, ut spargat in aedem
Isidis, antiquo quae proxima surgit Ovili.

Hanc enim, ubi aedes S. Stephani vulgari appellatione *del Cacco*, rationabili quidem conjectura Nardi-

nus

nus agnovit. Quod Dionis breviator Xiphilinus lib. LXVI. id confirmare videtur: ubi inter alia aedificia, quae Romae ſub Tito incenſa fuere, pene ex ordine enumerat *Serapidis, & Iſidis fana, Septa, Neptuni aedem, thermas Agrippae, & Pantheon.*

Ceterum in ſententiam hanc noſtram ipſe etiam Nardinus nolens deſcendit. quandoquidem totum id ſpatii, quod Septis nos dedimus, Septis aliis, puta Agrippianis, attribuit: quae nos cum Septis Campi Martii, de quibus eſt ſermo, eadem omnino facimus. Neque inſigne veſtigii veteris Romae fragmentum, ut in eo Bellorius advertit tab. x., nobis quidem adverſatur: licet Bellorius ipſe, locum aliquem ut Nardini, aliorumque ſententiae relinquat, eadem Septa conjungat, atque a platea S. Marci ad M. Antonini forum, ubi ſcilicet ipſius Columna viſitur, continuatis porticibus recta proceſſiſſe arbitretur. Verum aedificia, quae intermedia aderant, id non ſiviſſe videntur: ejuſdem praecipue M. Aurelii templum, & arcus aquae Virginis ductus, qui ſub colle Hortulorum initium habebant, & viam Latam a Flaminia dividentes, inde ſemitam, quae a Quirinali ad Pantheon ducit, occupabant. Immo quoties ex Donato lib. III. cap. XVIII., & ex Nardino lib. IV. cap. IX. tanquam res omnino comperta habeatur, quod iidem aquae Virginis arcus inter templum S. Ignatii, & Pantheon terminabantur, jam non ultra ex eorundem quoque ſententia

Septa processisse fateri oportet. nam, ut a Frontino proditum est lib.I. de Aquaeduct., ibi Septorum frons, ubi non longe eorundem arcuum finis erat: *Arcus Virginis*, inquit, *initium habent sub hortis Lucullanis, finiuntur in Campo Martio secundum frontem Septorum*.

Nec vero quod Lampridius in Alexandro cap. XXVI. referat, quod ille Basilicam Alexandrinam instituerat inter Campum Martium, & Septa Agrippiana, inferendum subinde mihi videtur, quod a Septis Campi Martii haec alia fuissent. Non ignoramus enim universos fere Antiquarios ad hunc Lampridii locum tanquam ad scopulum offendisse, verba illius minus longe quidem prospicientes. Campum Martium duplici acceptione apud veteres scriptores usurpatum fuisse nec Nardinus inficiatur. Laxiori siquidem Septa non tantum, sed universam illam planiciem, quae inter Tiberim, & Capitolium, Quirinalem, & Hortulorum collem ad Milvium pontem usque interjacet, ad Martium campum referebant. Unde Livius lib. II. cap.V. *Ager*, inquit, *Tarquiniorum, qui inter Urbem, & Tiberim fuit consacratus Marti, Martius deinde Campus fuit*. Et Dionys. Halicarn. lib. V. *Agrum, quem illi*, Tarquinii scilicet, *privatim possederunt, inopibus ex plebe diviserunt, qui situs est Urbem inter, & fluvium. Is jam ante Marti sacer erat, pratum equis, & juventuti in armis exercendae accommodum*. Sic

Jup-

Juppiter Pompejanus, a theatri Pompeji vicinitate ita cognominatus, a P. Victore, ut idem Nardinus etiam praenotavit, in Minori Campo locatur: qui tamen a Plinio lib. XXXIV. cap. VII. in Campo Martio ponitur. A. Gellius itidem lib. IV. cap. VII. Campum Tiberinum a C. Tarratia, sive Sufetia Virgine Vestali Populo Romano donatum, Martium pariter appellat. Strictiori autem sensu tam Campus idem Tiberinus, quem cum Minori eundem nonnulli faciunt, quam Campus Agrippae, & Prata Flaminia, licet Campi Martii partes fuerint, ab illius nihilominus appellatione, novis postea nominibus accedentibus, ut plurimum excludebantur: atque ea tantum totius Campi Martii pars Martius Campus vocabatur, quae adhuc hodie id nomen retinet: utpote quae nunquam aliis nominibus cessit.

Lampridius propterea arctiori hujusmodi significatione usus recte quidem a Martio Campo Septa discrevit: nec quod Agrippiana ea nuncupet, praeter adjuncti nominis differentiam aliquam Septorum pluralitatem inducere potuit. Quod ab ipso factum credimus; vel quia in ea Campi Martii parte, quae Agrippae ab Augusto dono concessa, illius postea nomen recepit, sita fuerint Septa; vel quod eadem postquam Lepidus marmorea fecerat, Agrippa dicaverit. Scribit enim Dio libro LIII. quod *Augusto VIII. Statilio Tauro Coss. Agrippa quia nullam viam sternendam susceperat, Septa dedicavit.*

Ac

Ac ne de Septis aliis ab eodem extructis Dionem loqui quis autumet: *Septa*, ſubdit, *locus eſt in Campo Martio. Eum ad habenda Comitia Lepidus undequaque porticibus circunductis aedificaverat, tabulis lapideis, & picturis a ſe exornatum.*

Praeter haec autem Septa ab Agrippa dicata quum alia ab eodem funditus extructa fuiſſe nec Plinius praeſertim, aut Suetonius, vel Dio, qui omnia, ac praecipua illius opera recenſent, nos doceant; neque ullus praeterea alius ex vetuſtis ſcriptoribus ſit, qui praeter unum Lampridium Agrippiana ea dixerit: quod propterea haec cum pluribus aliis in nonnulla P. Victoris exemplaria, in quibus deſcripta etiam leguntur, ex margine irrepſerint, nulla mihi eſt dubitatio.

His ita firmatis, incommoda, quae, ut ait Nardinus, plurima evenirent, ſi aedi Bellonae proxima Villa publica ſtatueretur, jam ceſſant omnino. Non enim neceſſe eſt, Campum Martium, qui latiori ſignificatione acceptus ad Capitolii radices uſque extendebatur; neque proinde Septa, atque his affinem Iſidis aedem illuc protrahere: quae licet ab aede Bellonae, & a Villa publica diſtaret: is tamen erat ejuſdem Villae, Septorumque praecipue ambitus, ut ad haec quamproxime accederet. Septorum autem magnitudo & extenſio quae antea, quaeve poſtea fuerit ex Cicerone conjici quodammodo poterit, qui in ſuo Conſulatu ita ad Atticum ſcribit lib. IV. epiſt. XVI.

Effi-

Efficiemus, inquit, *rem gloriosissimam. Nam in Campo Martio Septa tributis Comitiis marmorea sumus & tecta facturi; eaque cingemus excelsa porticu, ut mille passuum conficiatur. Simul adjungetur huic operi Villa publica.* Quod opus deinde gravioribus de caussis a Cicerone omissum, mox a Lepido, ut vidimus, assumptum Agrippa perfecit.

Quamobrem aliud sane incommodum hic adesse non sentio, nisi quod non amplius a Septis, sed ab alia proximiori caussa Cytorii nomen sit deducendum. Unde tamen derivari potuerit, non nostrum est divinare: nisi quis forsan ab Europae porticu, quae a Nardino lib. VI. cap. VI., & ab aliis ibi statuitur, ejus velit vocis originem repetere. Hanc enim Martialis,tanquam *buxo* celebrem,laudat lib.II. epigr.XIV. in Selium prandia captantem:

Lotus ad Europae tepidae buxeta *recurrit*,
Si quis ibi serum carpat amicus iter.

& lib. III. epigram. XX.

An spatia carpit lentus Argonautarum?
An delicatae sole rursus Europae
Inter tepentes post meridiem buxos
Sedet ambulatve liber acribus curis?

Inde non improbabile alicui videri posset,quod postquam eadem Porticu jam collapsa, sordibusque aliunde petitis, atque illic depositis, locus ille ante quartum scilicet saeculum montis formam acceperat,adhuc ibi ejusdem Porticus buxeta quodammodo vire-

virescerent (buxum etenim tam longaevae durationis creditur, ut a Plinio lib.xvi. cap.xi. *aeternum, & cariem vetustatemque non sentiens* appellatur) proindeque quod Cytorum notissimum Galatiae montem, qui & buxo insignis, referens, ita fuerit aliquando cognominatus. De hoc autem monte Strabo lib.xii. *Plurima autem, & optima* buxus *apud Amastrim nascitur, maxime ad Cytorum*. Plin. lib. xvi. cap.xvi. Buxus *Pyreneis, ac Cytoriis montibus plurima*. Et Vergil. lib. ii. Georgic. vers. 437.

Et juvat undantem buxo *spectare Cytorum*.

Catullus itidem lib.i. epigram.iv., ubi vocem adspirat:

nam Cythoriaco in jugo
Loquente saepe sibilum edidit coma.
Amastri Pontica, & Cythore buxifer,
Tibi haec fuisse, & esse cognitissima,
Ait Phasellus.

Quod nos quidem, etsi conjectura ejusmodi a veri quadam similitudine non omnino abhorrere videatur, ad morem praesertim nomina rebus imponendi ratione habita: libentissime tamen, ut aequius eruditorum judicium subeat, in medium relinquimus.

Nec minus profecto de illius origine variae sunt Antiquariorum sententiae. Raphael Volateranus, & Andreas Fulvius tradunt, opinionem eam aliquando extitisse, quod terra ad M. Aurelii Columnae cochlidis fundamenta jacienda effossa, ibique ob vicinitatem exonerata, congestus ille fuerit.

Sed

Sed non ea illorum temporum ſocordia erat, ut amoeniſſimum civium diverſorium, quod praeter alia nobiliora aedificia hoc optimi ac deſideratiſſimi Imperatoris Antonini Pii monumentum tunc recens propemodum cohoneſtaverat, tam turpiter foedandum relinqueretur.

Marlianus vero lib.VI. cap.XIV., quem L. Faunus, L. Maurus, atque alii hujus notae auctores ſequi videntur, vaſtiſſimi alicujus aedificii, ac praeſertim amphitheatri, quod perperam Claudii dicunt, ruinis creviſſe opinatur. Hoc autem quia prope Septa Suetonius deſcriptum reliquit: ideo illud, uti etiam cetera, quae ab antiquis ſcriptoribus Septis proxima traduntur, ibi ſunt imaginati. Suetonius vero de hoc ipſo amphitheatro a C. Caeſare Caligula inchoato verba faciens, ne ſe quidem dixiſſe ſomniavit, quod illud poſtea Claudius perfecerit, ut Claudii nomen, quod iidem Antiquarii minus recte ei tribuunt, jure aliquo ſuſtinere inde potuerit. *Opera*, inquit Suetonius cap. XXI. de Caligula, *ſub Tiberio ſemiperfecta, templum Auguſti, theatrumque Pompeii abſolvit. Inchoavit autem aquaeductum regione Tiburi, & amphitheatrum juxta Septa, quorum operum a ſucceſſore ejus Claudio alterum peractum, omiſſum alterum eſt.* Haec Suetonii verba, licet nitidiſſima, eorundem tamen Antiquariorum oculis tenebras induxerunt: adeo ut non a Caligula, ſed a Tiberio idem amphitheatrum inchoatum; a

Claudio vero non illud, ſed aquaeductum omiſſum Suetonium ſcripſiſſe putarint. Sed non is tantummodo verborum contextus: verumetiam Suetonius ipſe in Claudio cap.xx. aperte adverſatur. ait enim, *Opera magna potius quam neceſſaria quammulta perfecit: ſed vel praecipua, aquaeductum a Caio inchoatum*. Et Plinius lib. xxxvi. cap. xv. *Vicit antecedentes aquarum ductus noviſſimum impendium operis inchoati a C. Caeſare, & peracti a Claudio*. Quare etiamſi pro comperto omnino haberetur, quod ibi Septa fuerint, ubi Cytorius aſſurgit: attamen quum neque Claudius, neque ejus ſucceſſor Nero, qui ut populo in Campo Martio ſpectacula daret, ligneum amphitheatrum exſtruxerat; neque alius denique, qui ad exitum illud perduxerit, veterum ſcriptorum monumenta legenti occurrat: quod alteri potius operi deinde ceſſerit, facile ad credendum ducimur: quemadmodum de amphitheatro a Julio Caeſare incoepto evenerat: cujus apparatus omnis in aedificatione Mauſolei Auguſti fuit poſtea disjectus. Quinimmo cum Donato ſentiam: quod ſcilicet ipſe Claudius illud deſtruxerit, ut arcuatos aquae Virginis ductus a Caligula in ejusdem amphitheatri aedificatione diſturbatos reſtitueret. De quo vetus inſcriptio legitur apud Gruterum pag. clxxvi. 5.

Ti.

TI. CLAVDIVS . DRVSI . F. CAESAR . AVGVSTVS GERMANICVS
PONTIFEX . MAXIM. TRIB. POTEST. V. IMP. XI. PP. COS. DESIG. IIII.
ARCVS . DVCTVS . AQVAE . VIRGINIS . DISTVRBATOS . PER . C. CAESAREM
A . FVNDAMENTIS . NOVOS . FECIT . AC . RESTITVIT

Quoniam vero ex Donato, & Nardino jam ſupra innuimus, eosdem aquae ductus inter templum S.Ignatii, & Pantheon ſuos terminos habuiſſe, uti ex fornicibus, plumbeisque ipſius aquae Virginis tubis ſub ejusdem templi fronte repertis certiſſimum argumentum factum tunc fuerat: inde ſequitur, quod amphitheatri a Caligula ibi inchoati ruinae nullam penitus rem cum Cytorio habere potuerint.

Haud praeterea magis defatigabor ad eorum opinionem refellendam, qui vel ejusdem amphitheatri, vel Villae publicae ruinis illum intumuiſſe dixerunt. quandoquidem ubinam haec, & quam longe a Cytorio extiterit, abunde oſtendimus.

Nec audiendos prorſus cenſeo, qui non ſequioris aevi, ſed ipſius naturae opus ſibi Cytorium perſuadentes, leviſſimae huic opinioni ut aliquod pondus addant, eam Strabonis auctoritati committunt. Hic etenim lib. v. nativam Campi Martii amoenitatem, ejusque amplitudinem, ornatus, ludos, aliaeque exercitationes, quae ad juventutem recte inſtituendam illic habebantur, deſcribens: *Tum opera*,

 inquit,

inquit, *circumjecta, ſolumque toto anno herba virens, &* Collium *coronae ſupra amnem uſque ad alveum ſcenae quandam oſtentant ſpeciem, a cujus ſpectaculo difficulter quis avellatur.* Mihi Nardinus hos colles perſcrutanti Cytorium, aliumque ei perſimilem plebejum ſpuriumque Urbis montem, Jordanum ſcilicet, opponit: deque iis verba Strabonis intelligenda eſſe jurejurando pene affirmat. Sed non tam caecus ego, ut a ponte Milvio Urbem per Flaminiam petens tot laetiſſimos a laeva fere declives in Tiberinum alveum colles, atque Urbem ingreſſus Hortulorum collem non videam: qui adeo eminent, ut me ſtultum ſimul crederem, ſi pulcherrimos colles iſtos a Strabone laudatos haec inter aedificiorum Urbis rudera, viarumque excrementorum acervos inquirere vellem. Attamen ſuus honor Nardino maneat: qui ſi hodie nobiſcum viveret, hanc in rem meliora ſane proferret: ſuisque etiam ipſe oculis Cytorium hunc materia quidem non alia, quam terra ſordibusque ſequiori aetate eo perductis congeſtum eſſe probaret.

Hic igitur, atque in ea quidem parte, qua mons iſte ad occaſum deprimitur, Antonini Pii columna aſſurgit, quae quo tempore ei fuerit erecta, mihi ſcrupulum injectum libeat nunc in vulgus promere.

CAPUT

CAPUT . III.


Columnam Antonino Pio vivo adhuc, non mortuo erectam fuiſſe, nummus muſei Foucaultiani ſuadere videtur. Alter ex eodem muſeo Aelii Caeſaris nummus a Vaillantio non recte Antonino Pio adſcriptus. Columnae viris bello claris a Senatu in vita poſitae. Senatus Antonino etiamnum ſuperſtiti juremerito dicare columnam potuit. Praecipuae illius virtutes.



LICET vero columnae hujus inſcriptio, & reliqua conſecrationis ſymbola, quibus illius ſtylobates quammaxime nobilitatur, quod Antonino Pio jam vita functo Marcus & Lucius ejus ſucceſſores, & jure adoptionis filii illam dicaverint, aperte nos doceant: attamen quod ipſe potius aliud ſentire deberem, quod columna haec ſcilicet vivo adhuc a Senatu erecta ei fuerit, eadem vero conſecrationis ſymbola poſt ejus obitum a Marco & Lucio ſint addita, non levi quidem argumento adducor. quippe non in nummo tantum cuique perſpecto, in cujus priori parte circa nudum ipſius Antonini caput inſcribitur: DIVVS . ANTONINVS, & in altera. DIVO PIO; ſed in alio etiam a rei nummariae ſcriptoribus nondum literis prodito qui aereus, & mediocris formae, ac viginti circiter annos ante illum percuſſus, columna huic ſimilis nobis exhibita a Senatu eſt.

In

In hujus anteriori parte radiatum Antonini caput visitur, legiturque: Antoninvs. Avg. Pivs. PP. Tr. P. Cos. III.; in posteriori vero circa columnam: Felicitas. Avg. S. C. Qui praestantissimus, &,ut mihi sane videtur, singularis raritatis nummus celebre in Galliis museum Foucaultianum exornat: de cuius integritate, quum illius ectypum eruditissimus, atque in re nummaria apprime versatus Antonius Gallandius ad notae eruditionis doctrinaeque virum Justum Fontaninum, ut mihi illum traderet, ultro per epistolam miserit, ne auserim quidem dubitare.



Ex quo tametsi certus ejusdem columnae erectionis, seu dedicationis annus elici non posset, quum Tribunitia in eo potestas non numeretur, atque inter tertium, & quartum Antonini Pii consulatum quinque jam anni effluxerint, quibus decurrentibus adhuc pro more Cos. III., ut in hoc nummo, nuncupabatur: nihilominus, si ad nostram hanc columnam nummus ipse sit referendus, quod aut viginti, aut quindecim saltem annos ante illius mortem ei fuerit a Senatu posita, non obscure ostendit. viginti enim a tertio Antonini consulatu nondum exple-

expleto, & quindecim a quarti designatione ad illius vitae exitum usque numerantur.


Ceterum si Architectorum ratio, Sculptorumque peritia patitur, quod scilicet ab initio hujus columnae stylobatis magnitudo ea esset, ut illius proportione servata, anaglypha, quae ibidem extant, inde facile educi potuerint: non est equidem quod columnam in hoc nummo signatam ad hanc nostram neutiquam spectare nos moneat: siquidem non ideo quod in columnae istius nummi summitate turricula quaedam, quae in nummis consecrationis non facile sese offert, emineat, quod aliam propterea idem nummus columnam praeseferat suspicandum jam esset. nam & in iis etiam quandoque supra columnae capitulum cippus quidam ei turriculae similis apparet: cui consecrati Antonini statua insistit, ut in nummo infra posito patebit: cujus exemplum ex illustri Ducis Populensis cimelio, quod Neapoli extat, mihi humanissime tradidit vir genere, ac doctrina, morumque integritate spectabilis Antonius Sanfelicius: atque huic sane persimilem alterum possidet Franciscus Ficoronius, qui in Romanis antiquitatibus perscrutandis assidue versatur.



Neque

Neque vero quod in iſto, atque in ceteris id genus nummis, & conſecrati Imperatoris ſtatua deſuper, & clathrum (quod, ut ex ejus fragmentis modo repertis, marmoreum erat) ſtylobatem circumdans conſpiciantur; quae nummus Foucaultianus non exhibet: quod aliam proinde nummus iſte columnam denotet, inferre liceret, quandoquidem poſt conſecrationem appoſitum utrumque fuit: ſtatua quidem pro more divinitatis habitu ornata; clathrum vero, ut eiusdem conſecrationis anaglypha ab iniuria hominum ſervarentur immunia:

Verum cum eodem columnae typo alium quoque parvi aeris nummum a Nicaeenſibus in Bithynia percuſſum inter Graeca numiſmata pag. 44. Vaillantius ex laudato muſeo Foucaultiano deſcribit: cujus iconem a ſingulari ejuſdem Gallandii humanitate una cum altera ſuperius producta ſimul acceptam publici juris facimus.



Nummum iſtum ob initialem, ut puto, praenominis literam, quae T. perſimilis eſſe videtur, Antonino Pio Vaillantius attribuit, columnam exinde, quae in eo viſitur, Antoninianam appellans. Sed vultus, & ductae circa illum literae Antoninum neutiquam

quam

quam probant: qui praeterea tam in Latinis, quam in Graecis nummis nuſquam peculiari ſuo Antonini cognomine deſtitutus occurrit. Atque ideo quod ſingularis hujus praenominis litera non integra, ſed Λ. dimidium ſit: quodque Λ., ideſt: *Lucius*; non vero T. ΑΙΛΙΟϹ ΚΑΙϹΑΡ ibidem legi proinde debeat, omni procul dubio aſſerimus. L.enim Caeſari non ejuſmodi epigraphe tantum, ſed & maeſta oris effigies promiſſaque barba in nummo expreſſa recte omnino conveniunt. Statua vero columnae impoſita, quod eundem Aelium Caeſarem referat, atque unam ex iis eſſe denotet, quas ei mortuo, ut inquit Spartianus in ejus vita cap. VII., Hadrianus *per totum orbem coloſſeas poni juſſit*, neque erit mihi dubitandum.

Ex his itaque quum Antonino nummus iſte minime competat; nec columna propterea ibi caelata aliquam cum noſtra relationem habeat: hic diutius non immorabor. Verum ad priorem inſignemque nummum alterum Foucaultianum me vertam, qui Antoninum vel initio ſui Principatus columnae honorem promeruiſſe index eſſe videtur.

Enimvero ſi columna cum ejusmodi elogio: FELICITAS. AVG. Antonino adhuc ſuperſtiti erecta fuerit: amorem non tantum erga optimum Principem, ſed & Senatus ingenium inſpexiſſe juvabit. quandoquidem quem antea paucis, iisque ob res praeclare bello geſtas honorem viventibus viris deferre conſueverat, illum ut Principi etiam, qui ſupra quam

cuique credibile est pacis amator & cultor erat, absque ulla adulationis nota illum conferre videretur, tam ei proprium tamque ejus virtutibus accommodum titulum adinvenit. Nam si L. Minucium Augurinum excipias, cui anno U. C. cccxiv. quum annonae Praefectus esset, propter beneficia in ejus magistratu populo collata Senatus extra portam Trigeminam columnam primum erexit: viris deinde, qui non bello maxime inclaruerunt, id honoris genus decretum haud facile inveneris: adeo ut illorum tantum proprium esse quodammodo videretur, qui pugnando magna pro Republica patrarunt. Ennium propterea de Scipione dixisse referunt: *Quantam statuam faciet Populus Romanus! quantam columnam, quae res tuas gestas loquatur!* Quod aliis etiam illustribus viris columnae erectae dicataeque confirmant: C. Maenio scilicet, ob priscos Latinos subactos; C. Duilio, ob navalem de Poenis triumphum relatum; Augusto itidem, ob Sex. Pompejum debellatum; Vespasiano, ob Judaeos devictos; Trajano denique columna cochlis, quae eleganti miroque artificio rebus ab eodem in Dacia gestis insculpta, ad hanc usque diem in illius Foro adspicitur. quam Ciaconius exposuit, ejusque postea vestigia sequutus Raphael Fabrettus, cujus laboribus, & eruditioni res antiqua non parum sane debet, suis etiam declarationibus illustravit.

Quapropter etsi Antoninus quoque plurima qui-

quidem fuerit bella aggressus; nam ut refert Capitolinus in ejus vita cap. v. *Et Britannos per Lollium Urbicum legatum vicit, alio muro caespititio summotis barbaris ducto, & Mauros ad pacem postulandam coegit, & Germanos, & Dacos & multas gentes, atque Judaeos rebellantes contudit per praesides ac legatos. In Achaia etiam atque Aegypto rebelliones repressit. Alanos molientes saepe refrenavit:* quia vero nullam ipsemet pugnando sibi viam gloriae fecerat, in hoc strenuis fortissimisque iis viris aequari minime poterat. Attamen Senatus gloriosum non minus felicemque Principem illum judicans, qui pace recte prudenterque se gerit, quam qui bello alacritatem suique animi robur exercet: Antoninum etiam ejusmodi Columnae honore aeque dignum putavit: cujus quidem animus tot tantisque exornabatur virtutibus, unde vera gloria, humanaque felicitas oritur: ut quotquot antea compotes imperii facti fuere, omnes post se reliquos fecerit. Siquidem si aequitatem justitiamque, qua semper est cuncta moderatus modo persequi velim, ita mihi suppetias praebet Victor in epitome cap. xv. *Ad quem*, inquit, *etiam Indi, Bactri, Hyrcani legatos suos misere, justitia tanti Imperatoris comperta, quam ornabat vultu sereno & pulcro, procerus membra, decenter validus.* Et apud Fabrettum cap. x. Inscriptionum antiqu. pag. 681. *justissimus* dicitur:

S. P. Q. R.

Imp. Caesari . T. Aelio . Hadriano . Antonino . Avg. Pio . P. P.

Pontif. Max. Trib. Pot. Vi. Cos. IIII. Optimo Maximoq. Principi . Et . Cvm . Svmma . Benignitate . Ivstissimo . Ob . Insignem . Erga Caerimonias . Pvblicas . Cvram . Ac . Religionem

S. Auguſtinus praeterea lib. ii. cap. viii. de adulterinis conjugiis aequiſſimam illius conſtitutionem laudat, qua maritus, qui non pudice viveret, de adulterio uxorem accuſare non poterat: quin ejuſdem criminis in uxoris accuſatione convictus, ipſe etiam damnabatur. *Legant*, inquit Auguſtinus, *quid Imperator Antoninus, non utique Chriſtianus, de hac re conſtituerit, ubi maritus uxorem de adulterii crimine accuſare non ſinitur, cui moribus ſuis non praebuit caſtitatis exemplum: ita ut ambo damnentur, ſi ambos pariter impudicos conflictus ipſe convicerit.* Et Capitolin. aliam non minus aequam memorat in ejus vita cap. x., qua bona, quae repetundarum damnati ante ſuſceptam provinciam habebant, eorum liberis relinqui; cetera vero ſpoliatis provincialibus reddi ſanciverat: quibus antea lege Julia in auctione venditis, & per Sectores redemptis, Fiſco ut plurimum pecunia inferri ſolebat. *Si quos*, ait Capitolinus, *repetundarum damnavit, eorum liberis bona paterna reſtituit, ea tamen lege, ut illi pro-*

vin-

vincialibus redderent quod parentes acceperant. Cum juſtitia vero & liberalitatem, quae principem virum non minus commendat, ita ſane copulavit, ut, eodem Capitolino teſte cap. II., *patrimonio ſuo plurimos adjuvaret*: & cap. IV. *Adeo*, inquit, *liberalis fuit*, *ut quum ab uxore argueretur*, *quaſi parum neſcio quid ſuis largiens*, *dixerit*: STULTA . POSTQUAM . AD . IMPERIUM . TRANSIVIMUS . ET . ILLUD . QUOD HABUIMUS. ANTE. PERDIDIMUS . Quam virtutem in literatos doctoſque viros eum in primis exercuiſſe idem Capitolinus teſtatur cap. XI. *Rhetoribus*, ait, *& Philoſophis per omnes provincias & honores & ſalaria detulit*. Ejus praeterea clementiam & manſuetudinem auctor idem celebrare non deſtitit.nam cap.XIII. *ſoluſque omnium*, inquit, *prope principum prorſus ſine civili ſanguine*, *& hoſtili quantum ad ſe ipſum pertinet vixit*. Item Victor in epit. cap. XV. *Adeo manſuetus*, *ut inſtantibus Patribus ad eos*, *qui contra eum conjuraverant*, *perſequendos*, *compreſſerit quaeſtionem praefatus*: NECESSE. NON . ESSE . SCELERIS IN. SEMETIPSUM . CUPIDOS . PERTINACIUS . INDAGARI . NE SI . PLURES . REPERIRENTUR . QUANTIS. ODIO. ESSET . INTELLIGERETUR. Ejus animi docilitatis inſigne teſtimonium eſſe poterit Apologia, quam S.Martyr Juſtinus coram eo libere habuit pro Chriſtianis, in qnos, quicquid de hujus Imperatoris epiſtola ab Euſebio relata Critici ſentiant, minime animadvertiſſe tradit Xiphil. in ejus vita: *Igitur conſtat*, *Antoninum virum probum*

bum & bonum fuisse. Nec enim ceteris subditis gravis, nec Christianis infensus fuit; quos vehementer observavit & coluit, ac bonori, quo Hadrianus Christianos prosequebatur, accessionem fecit. Victor insuper loco superius citato illius modestiam quoque celebrat, quam tantam sane fuisse memorat, ut *omni prorsus appetentia gloriae & ostentatione caruerit.* Hinc Capitolin. cap. x. *Mensem*, ait, *Septembrem, atque Octobrem Antoninianum, atque Faustinianum appellandos decrevit Senatus, sed id Antoninus respuit.* Tantam denique curam, diligentiam, studium sedulitatemque in principatu administrando adhibuit, ut *omnia & omnes tanquam sua essent, curaret*, quemadmodum ipse Capitolinus scribit cap. vii.: ubi subdit, quod *Provinciae sub eo cunctae floruerunt.* Sed haec prope omnia, atque alia in unum collecta habentur apud eundem cap. ii. *Fuit*, inquit, *vir forma conspicuus, ingenio clarus, moribus clemens, nobilis vultu, & placidus ingenio, singularis eloquentiae, nitidae literaturae, praecipue sobrius, diligens agri cultor, mitis, largus, alieni abstinens, & omnia haec cum mensura, & sine jactantia. In cunctis postremo laudabilis, & qui merito Numae Pompilio ex bonorum sententia comparatur.*

Scite propterea Senatus Antonini Felicitatem, quam suis hisce virtutibus ille acquisiverat, publico aliquo monumento exprimere cogitans, ad id Co-

lumna usus esset. Nam, ut Aristoteles docet lib. II. de moribus ad Nicomachum cap. XI., quum *in nulla re humana tanta sit firmitas, quanta in iis actionibus, quae cum virtute consentiunt*: non aptius proinde, quam per columnam stabilitatis, & securitatis typum poterat illius felicitas configurari: utpote quae non belli, variaepue fortunae casibus; sed solidis ipsius virtutibus, unde proficiscebatur, inhaerens, non fluxam ac momentaneam; sed stabilem diuturnamque de se durationem promittebat.

Ceterum non hoc uno tantum, sed symbolis aliis plurimis Antonini felicitatem adumbrare studuit Senatus, sicuti ejus nummi testantur, qui cum eadem epigraphe: FELICITAS. AUG. frequentes apud Antiquarios occurrunt: ubi passim figura quaedam stans cernitur, quae dextra caduceum, sinistra vel ramum oleae; vel cornucopiae; sive floribus fructibusque refertum gremium exhibet, simul ut pax, & rerum copia, in quibus publica populorum tranquillitas, & Principum quoque felicitas sita praecipue est, designarentur. Sed qui plurimum elogium eidem columnae appositum declarat, is quidem esse videtur, in quo ejus saeculi felicitatis imago stolata visitur: quae dextra caduceum pariter tenet; sinistro vero brachio, ut sui stabilitatem securitatemque ostendat, paruae columnae innititur.

His igitur quantum ad nummi huius Foucaultiani columnam attinet, te Lector, nos detinere

puta-

putavimus, omni tibi facultate relicta, utcunque tibi visum fuerit, de hoc libere iudicandi. Reliqua interim, quae ad Antonini Apotheosim in nostrae columnae stylobate insculptam referuntur, nos aeque stylo prosequemur.

CAPUT

CAPUT . IV.

Antoninus Pius ob suam probitatem prae aliis consecratione dignus. Lydiatii opinio de illius mortis die refellitur. Ejus imperii & vitae annorum numerus. Victor ab Anna Fabra immerito reprehensus. Capitolinus adversus Casaubonum, Pagium, aliosque exponitur, & suppletur. Honores Antonino Pio post mortem delati: inter quos nova etiam illius Columnae dedicatio. Ejus cineres ubi conditi, contra Ciaconium ostenditur.



X quo rigidissimi quondam, dum libera Respublica mansit, Romani Senatus severitas in tantam erga suos Principes prolapsa fuerat adulationem, ut si quis illorum cum liberis, sive aliis jure adoptionis filiis in spem regiminis evocatis decessserat, hunc solenni publicoque ritu consecratum in caelestium Deorum numerum referret: non alterius quidem, quam Antonini Pii consecratio extitit, quae ejuscemodi Senatus insaniam excusare quodammodo potuerit. Cujus siquidem probitatis, ut vidimus, luculenta adeo testimonia habemus, ut Christianum etiam, eumque piissimum optimumque Principem commendare aeque possent. *Vixit* enim, ut Eutropii etiam ex lib. VIII. hist. Roman. testimonium adjiciam, *ingenti honestate privatus, majori*

in imperio. nulli acerbus, cunctis benignus: in re militari moderata gloria: defendere magis provincias, quam amplificare studens: viros justissimos ad administrandam Rempublicam quaerens, bonis honorem habens, improbos sine aliqua acerbitate detestans. Quare Victor in epitome cap. xv., *tantae*, inquit, *bonitatis in principatu fuit, ut haud dubie sine exemplo vixerit.*

Is itaque quum apud Lorium avitum sui fundum, quod a Capitolino in ipsius Imperatoris vita cap. I. Laurum appellatur, duodecimo ab Urbe lapide in via Aurelia positum, versaretur, lenta paucorum dierum febri extinctus, *a Senatu*, eodem Capitolino teste cap. ultimo, *Divus est appellatus, cunctis certatim adnitentibus: quum omnes ejus pietatem, clementiam, ingenium, sanctimoniam laudarent.* Id vero etsi Nonis Martiis contigerit anno U. C. DCCCCXIII., aerae Christianae 161. M. Aurelio Vero III. & L. Aurelio Commodo II. Coss., ut Chronologi fere omnes unanimiter sentire videntur: unus tamen Thomas Lydiatius prosiliit, qui in sua Chronologica summorum Magistratuum, Romanorumque triumphorum serie non quidem Martii, sed Nonis Octobris ejusdem tamen anni Christiani 161., & U. C. DCCCCXIV. a Parilibus Antoninum Pium vivendi finem fecisse, contra communem sententiam, & veterum lapidum fidem docere contendit. Sequitur autem, ut videtur, Eusebium,

bium, & Caſſiodorum, qui ab Hadriani morte, quae ſequuta eſt vi. Idus Julias anni U. C. DCCCXCI., aerae noſtrae 138., tres imperii menſes ſupra tres, & viginti annos ei tribuunt. Verum quam minus recte ejus regiminis annos iidem ſummi viri digeſſerint, inferius patebit.

Interea dum nobis adverſus Lydiatium firmiſſima quaedam argumenta non deſunt: non alienum propterea a ſuſcepti operis inſtituto eſſe putamus ad illius errorem diluendum paginam implere. Legitur apud Gruterum pag. ccc.

M. AELIO . AVRELIO . VERO . CAESARE . III.
L. AELIO . AVRELIO . COMMODO . II. COS.
COOPT.
L. PETRONIVS . SEVERVS . NO. I. ANVS
P. R. C. ANN. DCCCCXIII.

Et menſe Novembri mox elapſo hujus anni 1703. antiqua baſis Puteolis eruta fuit, quam integram ad operis calcem dabimus: ibique inſignis alia infra poſita inſcriptio legitur. quam Blaſius Caryophilus Graece, & Hebraice doctus ab erudito rerumque antiquarum ſtudioſo viro Joanne Vincentio Rondinello impetratam mecum amiciſſime communicavit.

Locvs . Datvs . Ex . Avctoritate . Flavi
Longini . Cl. V. Cvr. R. P. Adsignata
M. Valerio . Pvdente . IIvir . Cvrat
X. Kal. April.

sic
Imp. Cesare . M. Avrelio . Antonino . Avg. III.
sic
Et . Imp. Cesare . L. Avrelio . Vero . Avg. II. Cos.

Porró ex priori Gruteriana inſcriptione apparet, quod a Kal. Januariis anni U. C. dcccexiii., aerae vulgaris 161. Marcus III., & Lucius iterum Coſſ. proceſſerant: quodque unus Caeſar tantum; alter nullis adhuc titulis inſcribebatur: mox vero ex hac baſi liquido patet, quod x. Kal. Apriles ejuſdem anni, quum idem nempe illorum Conſulatus decurrebat, uterque Auguſtaeos titulos jam aſſumpſerat. quod niſi Antonini Pii ſequuta mors eſſet, fieri nullo pacto potuiſſet. Id aeque demonſtrari etiam poſſet alia Gruteri inſcriptione Idibus Aprilibus ejuſdem anni inſculpta, quae habetur ad pag. lxiii. 3., & apud Panvinium in faſtis ad annum dcccexiv.: ſecundum ſcilicet ejus ſupputationem, quae unius anni metachroniſmo laborat. In hoc autem lapide tam Marcus, quam Lucius Idibus Aprilibus ejuſdem anni Auguſti pariter dicuntur.

P. Cor-

P. CORNELIVS . FAVSTVS
SILVANVM
CVM . BASE
D. D.
DEDICAVIT
IDIBVS . APRILIB.
IMP. CAES. M. AVRELIO
ANTONINO . III. IMP. VERO
AVGVSTO . COS. II.

Dionis etiam auctoritate ex Xiphilino in M. Aurelio invalida haec Lydiatii opinio infirmatur, penitusque destruitur. Siquidem quum XVI. Kal. Apriles M. Aurelii mortem Dio statuat: *Sed is*, inquit, *discessit e vita XVI. Kal. April. non morbo, quo laborabat, sed, ut ego certo accepi, peremptus a medicis, qui Commodo gratificabantur*: quumque praeterea certum aeque sit, illum a morte Antonini Pii annos duodeviginti imperasse, & dies undecim, ut ex Clemente Alexandrino Stromatum lib. I. pag. 339. ex editione Sylburgii: si a XVI. Kal. April. per undecim hos dies retrocedamus, ut etiam Panvinius in fastis praenotavit, non ad Nonas Octobres, sed Martias jam perveniemus: quae vitae Antonini Pii suprema dies erit.

Quia vero, uti dicebam, erronea haec Lydiatii opinio Eusebii Chronico, & fastis Cassiodori inhaerere mihi videtur, qui annos imperii Antonini Pii non adeo exacte computarunt: propterea dum ipsa res postulat, libeat mihi de hoc etiam aliquid effari.

Quan-

Quanvis enim, quo Hadrianus obiit, eique Pius in absoluta imperandi potestate successit, dies a nemine ignoretur; quum in ejusdem Hadriani vita cap. xxv. Spartianus aperte de eo nos moneat: *Post hoc Hadrianus Bajas petiit, Antonino Romae ad imperandum relicto. Ubi quum nihil proficeret, accersito Antonino, in conspectu ejus apud ipsas Bajas periit die sexto Iduum Juliarum*: attamen tanquam incertum esset, quo anno Hadrianus, quove die Antoninus interiisset, memorati scriptores, ut dixi, ultra tres menses Antoninum tres & viginti annos imperasse scribunt; Clemens Alex. ibidem unum, & viginti; Eutropius lib. iv., & Xiphilinus in supplemento Dionis, quatuor & viginti; Victor in epitome cap. xv. tres supra viginti; Victor Schotti viginti tantum. *Denique*, ait, *annis, quibus publica egit, viginti idem mansit celebrato magnifice Urbis nongentesimo*. Ubi clarissima femina Anna Tanaquili Fabri filia, quae mira profecto supra sexum enititur, non bene de Victore sentit, quod saecularem hunc Urbis annum magnifico apparatu Antoninum celebrasse scripserit. *Privatus ergo*, inquit, *Urbis nongentesimum magnifice celebravit. Aliter tamen hic Victor. Quod ridiculum. Anno enim Urbis DCCCCX. imperium suscepit Antoninus*; sed quum ipsa, dum Victorem immerito castigat, undeviginti regiminis annos Antonino Pio subtrahat, Victorem, non Annam insigniter errasse quis dixerit? Habita die igitur,

qua

qua Hadrianus, quave Antoninus deceſſit, facile quoque Hadriani mortis annus habebitur. In Antonini nummis Tribunitia poteſtas ei v. Kal. Martias ab Hadriano delata non ultra xxiv. procedit. qua tamen ſublata, utpote quae, illius obitus die enumerato, ante dies undecim tantum incoeperat, tres & viginti Tribunitiae poteſtatis anni ſupererunt: e quibus quatuor itidem menſibus, diebuſque tredecim ſubtractis, quot ſunt nempe a v. Kal. Martias, quo Antoninus, Tribunitia poteſtate ſuſcepta, fuerat ab Hadriano adoptatus, ad vi. Id. Julias, quo idem Hadriano vita functo, ad ſupremum rerum faſtigium aſcenderat, annos illius imperii habebimus duos & viginti, menſes ſeptem, dieſque viginti ſeptem, die mortis non computato. Cum his autem a Nonis Martiis anni Chriſti 161., quo Antoninus Pius obiit retrogrediamur, ad annum diemque obitus Hadriani, nempe ad vi. Id. Jul. anni 138. deveniemus.

Verumtamen nonnullorum opinio eſt, quod inter primam Antonini Tribunitiam poteſtatem, & Hadriani mortem annus medius interceſſerit: adeo ut non vi. Id. Julias anni 138., ſed inſequentis anni 139. Hadrianum diem clauſerit: proindeque unum imperii annum Antonino ſubducunt, ut illum Hadriano elargiti bene de Spartiano, Schotti Victore, & Eutropio mereantur: qui unum & viginti regiminis annos, ac menſes undecim Hadriano adſcribunt. Quod omnino falſum eſſe non Dionis tantum aucto-

ritate

ritate ex Xiphilino in ejuſdem Hadriani vita evincitur, ubi ait: *Vixit annos LXII., menſes V., dies XIX.; Regnavit annos XX., menſes undecim*: verum nummi hoc itidem edocent: qui ſcilicet non amplius quam illius Tribunitiam poteſtatem xxi. praeſeferunt. His duorum etiam noſtri temporis doctiſſimorum hominum teſtimonia adjiciam, Pagii nimirum, & aeque literis ac purpura Eminentiſſimi Noriſii Cardinalis, qui maximo quidem eruditi orbis damno ad extremum vitae properat: glorioſam tamen ac nunquam perituram nominis famam poſt ſe relinquens. Hic etenim in ſuo Auctario Chronologico de Votis Decennalibus cap. iii., quod duplici Diſſertationi de duobus Diocletiani, & Licinii nummis accedit, quum pariter exiſtimaſſet, Hadrianum ſupremum diem obiiſſe anno U. C. dcccxcii. aerae vulgaris 139. Antonino II. & Praeſente Coſſ.; tum Pagius in diſſertatione Hypatica par. i. cap. viii., ubi animadverſionem hanc non noſtram amplius eſſe cognovimus; tum ipſe Noriſius in Conſulari ad eundem Pagium Epiſtola pag. 85. opinionem hujuſmodi erroneam ac falſam eſſe non diſſimularunt: utpote in mendoſis duabus, vel tribus Gruterianis inſcriptionibus innixam, in quibus ab imperito exſcriptore exaratis Hadriani Tribunitia poteſtas xxii. pro xxi. repoſita fuit. Ut Tribunitiam nanque poteſtatem xxii. Hadrianus attingeret, quae iv. Id. Auguſti inchoari debuerat, mors integrum ei menſem praeripuit:

atque

atque ideo minus recte V. Cl. Joannes Harduinus, in Specimine altero Chronologiae Veteris Testamenti pag. 288. duos & viginti imperii annos Hadriano adscribens, calculum posuisse videtur.

Ceterum, ut annum aerae Christianae 138., quo Pius Tribunitiam potestatem primam suscepit, primum quoque ejus imperii fuisse constet, praeter laudatum a sapientissimo Norisio in eadem epistola Consulari nummum Mediceum, in quo cum Tribunitia potestate prima Antoninus Augustus inscribitur; alii sane plurimi passim occurrunt apud Occonem, & Mediobarbum, ceterosque rei nummariae scriptores, qui hoc idem facile declarant. Quo facit etiam alia Gruteri inscriptio pag. CCLIII. 5.

IMP. CAESARI
DIVI . HADRIANI
AVG. FILIO . DIVI
TRAIANI . PARTHICI
NEP. DIVI . NERVAE
PRONEPOTI . TITO
AELIO . HADRIANO
ANTONINO . AVG.
PIO . TRIB. POT. COS. DES. II
SCRIBAE
ARMAMENTARI
POSVERVNT

Hac porro demonstratur, quod inter Antonini Tribunitiam potestatem primam, & Hadriani mor-

tem non annus medius fuerit interpositus: quum ibi mors Hadriani, per Divi titulum ejus nomini praemissum indicata, cum eadem Antonini Tribunitia potestate prima, & Augusti titulo jungatur. Id perspicuum fit auctoritate Ptolemaei, qui a Norisio ex observatione in Tabulis Prutenicis ab ipso facta immerito erroris notabatur. Scribit enim Ptolemaeus lib. xi. cap. i. Almagesti, ubi de stella Jovis loquitur: *Alteram*, observationem scilicet, *anno Hadriani xxi. Phaothi xiij. sequente xiv. ante mediam noctem horis duabus, invenimusque in gradibus Piscium 7. 54. Tertiam primo Antonini anno Athir secundum Aegyptios die xx. sequente xxi. post mediam noctem horis v. invenimusque stellam Jovis in gradibus Arietis* 14. 23. Ergo secunda observatio a Ptolemaeo facta fuit anno xxi. imperii Hadriani, qui in annum incidit Christianae epochae 137. Caesare II. & Balbino Coss.: mense nempe Phaothi, qui Octobri nostro respondet. Tertia vero primo Antonini Pii anno, mense Athir: hoc est, Novembri: quumque a secunda observatione ad tertiam annum Aegyptiacum non amplius quam unum, & dies xxxvii., horas vii., & gradus 36. 29. intercessisse Ptolemaeus affirmet; constabit utique, quod, si mense Octobris anni 137. annus xxi. imperii Hadriani, Pio nondum adoptato, decurrebat, V. deinde Kal. Martias anni proxime sequentis 138. Antonini adoptione facta, intra eundem annum, VI. scilicet Id.

Julias

Julias Hadrianus obierit: quum ex Ptolomaeo mensis Novembris hujus anni 138. ad primum imperii Antonini Pii annum spectasset.

Ex his proinde manifestissimus Casauboni, aliorumque haud dissimilis error apparet: qui in secundo Antonini Consulatu, qui anno aerae Dionysianae 139. in fastis notatur, Hadrianum viventem adhuc faciunt: auctoritate scilicet Capitolini, qua & doctissimus Cardinalis Norisius ante sui retractationem deceptus quoque fuerat. Haec enim habet Capitolinus in M. Aurelio cap. v. *Octavodecimo aetatis anno adoptatus, in secundo Consulatu Antonini jam patris sui, Hadriano ferente, gratia aetatis facta, Quaestor est designatus.* Qui octavusdecimus annus, M. Aurelio VI. Kal. Majas Vero II. avo suo, & Augure Coss. nato, ut idem Capitolinus tradit, cum secundo Antonini Pii Consulatu recte componitur. tot enim a secundo Veri ad secundum Antonini Consulatum paria Consulum in fastis numerantur. Quod tunc vero Hadrianus superstes non esset, tot non solum validis argumentis mihi superius adductis, sed & veterum quidem nummorum testimonio satis superque comprobatur. in iis etenim Antoninus cum Augusti titulo Cos. II. non tantum; immo etiam vel designatus II.; vel Consul tantummodo dicitur. Quia vero anno praecedente, quum Marcus septemdecim annorum esset, ab Antonino in filium adoptatus jam fuerat: verba proinde Capitolini non

de hac equidem ; verum de solenni illius in Caesarem adoptione, quae anno insequente, postquam Antoninus secundum Consulatum ordinarium inierat, & Marcus octavumdecimum aetatis annum nondum expleverat, fuit celebrata, intelligi debent. in quo Consulatu quum ipse Marcus (ei venia annariae legis anno superiori ab Hadriano impetrata) Quaestor adhuc esset, illum Antoninus secum Consulem designavit. Unde prorsus hic implicitus Capitolini locus ita mihi explicandus, & supplendus esse videtur, ut legi, aut exponi debeat: *Octavodecimo aetatis anno* in Caesarem *adoptatus*, *in secundo Consulatu Antonini jam patris sui*, *Hadriano ferente gratia aetatis facta*, *Quaestor* adhuc, Consul *est designatus*. Quod alia etiam ejusdem Capitolini loca declarant. in Pio enim cap. vi., *Marcum Antoninum*, inquit, *Quaestorem*, *Consulem*, *petente Senatu*, *creavit*; & in M. Aurelio cap. vi., ubi e more eadem repetit: *His ita gestis*, *adhuc Quaestorem*, *&* *Consulem secum Pius Marcum designavit*, *&* *Caesaris appellatione donavit*.

Quibus fortasse minus accurate perspectis, doctissimus Pagius in suae Dissertationis Hypaticae par. i. cap. iii. de prima Marci in filium adoptione Capitolinum intellexisse putavit. Quocirca pro octavodecimo aetatis anno decimumseptimum legendum monet; ac pro secundo Antonini Consulatu ordinario ejusdem Consulatus designationem interpretatur.

Quae

Quae profecto magnopere inter ſe pugnant. Antoninus enim, quum ex Hadriani voluntate ſibi Marcum in filium adoptaverat, nondum Conſul iterum fuerat deſignatus. quod quidem poſt Hadriani mortem contigit, ut ex ejus nummis certiſſima conjectura fieri poteſt, tum apud Occonem pag. 248. edition. Auguſtanae, qua utimur; tum praeſertim ex praeclaro maximi moduli numiſmate hiſce diebus a laudato rerum antiquarum ſtudioſo viro Franciſco Ficoronio acquiſito: quod hic delineatum exhibeo.



In hujus autem parte antica, ut patet, caput Antonini laureatum conſpicitur, circa quod legitur: ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. IMP. COS. In poſtica vero nuda quaedam muliebris figura grypho vecta cernitur, quae dextra ſceptrum ſtringit. Hoc idem ex altero aureo nummo non minus evincitur, qui habetur tom. I. Muſei Farneſiani tab. XIII. num. 2.: ubi in priori parte ipſius Antonini laureatum quoque caput viſitur cum literis: IMP. CAES. T. AEL. ANTONINVS. AVG.; & in parte averſa figura quaedam velata extat

extat ad aram ignitam sacrificans; ibique inscribitur: Pont. Max. Tr. Pot. Cos., ut infra apparet.



Qua de re si Pagii assertio vera esset, quod vivo scilicet Hadriano Antoninus Cos. iterum designatus fuisset, uti postea eodem Hadriano jam mortuo, quando scilicet cum imperio Augusti titulum assumpserat, ad primum poterat Consulatum redire, & Augustus & Consul tantum denuo dici? Nummos propterea, quos ex Thesauro Goltzii ad ejus probationem Pagius producit cum hac, vel alia ei simili epigraphe: Imp. T. Ael. Caesar. Antoninvs. Trib. Pot. Des. ii., tanquam non aliqua pravae scriptionis suspicione carentes vitandos censeo. Hinc pateat etiam, quod quum Antoninus Pius & Augusti titulo, & primi Consulatus nota in nummis productis insignitus occurrat, verum non esse, quod ille, ut scribit Cl. Gisbertus Cuperus in Histor. Trium Gordianorum pag. 37., in nummis, in quibus Consul tantum sine numero dicitur, non aliter potuisset, quam Caesar effingi.

Die igitur, quo Pius fatis concessit, ita firmato, parvo quoque momento poterimus ejus vitae spatium metiri: de quo non minus quidem inter se

scri-

ſcriptores diſſentiunt . Capitolinus in ejus vita cap.XII., cujus veſtigiis Cuſpinianus in Caeſaribus, & cum aliis Sponius in ſuisDiſquiſitionibus diſſert.XXIV. pag.365. inſiſtere videntur, ſeptuaginta vitae annos ei tribuit; ſeptuaginta ſeptem Caſſiodorus; Eutropius octo & ſeptuaginta; Victor Schotti cap. XVI. ſeptuaginta quinque; & Victor alter in epitome cap. XV. duos tantum ſupra ſeptuaginta. Sed quam perperam id fuerit ab iis conſignatum, a Capitolino praeſertim, qui ſuis ipſe viribus corruit, ita ſane demonſtratur. In Antonino cap.I. ſcribit, quod idem natus fuerit XIII. Kal. Octobres Domitiano XII., & Cornelio Dolabella Coſſ. quod etiam docet tum vetus inſcriptio, quae Romae legitur in hortis Barberinis,& apud eundem Sponium diſſert.XXIII. pag.327. tum vetus itidem Kalendarivm Conſtantinianum apud Petrum Lambecium lib.IV. pag.285. Commentar. Biblioth. Caeſar. Quapropter quum a XIII. Kal. Octobres anni U. C. DCCCXXXIX., aerae Dionyſianae 86.; qui annus in faſtis eorundem Conſulum nominibus impletur, ad Nonas uſque Martias anni U.C. a Parilibus DCCCCXIII., Chriſti 161.; quo anno, & die, uti jam demonſtravimus, Pius deceſſit, anni quidem quatuor & ſeptuaginta, menſes quinque, ac dies ſeptemdecim interceſſerint: id vitae ſpatium erit ei adſignandum.

Quum itaque ſuam huc uſque Antoninus vitam produxiſſet, poſt XXII. imperii annos, menſes VII., dies

dies XXVII. apud Lorium, ut dicebamus, Nonis Martii, non Octobris, anni U.C. usque ad Parilia DCCCCXIII., aerae nostrae 161. moritur: eique *a Senatu*, ut refert Capitolinus, *decreti etiam sunt omnes honores, qui optimis Principibus ante delati sunt. Meruit & Flaminem, & Circenses, & templum, & Sodales Antoninianos*. Et Victor in epitome cap. XV. *Ob cujus honorem templa, sacerdotes, atque infinita alia decreta sunt*. Quae omnia atque ejus nummi quidem ostendunt. Per aquilam etenim in iis varie expressam, per rogum, & aram, perque illius statuam sedentem Deorum habitu effictam satis superque divini honores ei habiti declarantur: Circenses praecipue ejus nummus indicat, in quo essedum, sive thensa a quatuor elephantis tracta, quae in Divorum natali per Circum traduci solebat.

Quibus sane honoribus columnam hanc quoque, etiamsi antea alia de caussa a Senatu djcata ei fuisset, accessisse videmus. Marcus enim & Lucius, ne tot inter publica Senatus officia singulari aliquo ac perenni simul amoris testimonio parentem optimum defraudare viderentur, colosseam illius statuam divinitatis habitu ornatam columnae eidem imponi, ejusque consecrationis symbolis stylobatem insculpi curarunt: annuente quidem Senatu, ut nummi, quos iterum hac eadem columna non *Felicitatis* quidem, sed illius consecrationis indice cudi mandavit, de hoc certiores nos reddunt.

Ita quoque columna, quam viventi adhuc Trajano Senatus in ejus Foro dicaverat, eodem postea defuncto, in sepulcrale illius monumentum evasit. *Inter divos*, de eodem inquit Eutropius lib. VIII., *relatus est, solusque omnium intra Urbem sepultus. Ossa ejus collocata in urna aurea, in Foro, quod aedificavit, sub columna sita sunt.* Monumentum hoc vero etsi Antonini mortem consecrationemque spectet: attamen nullam cum ejus cineribus rem prorsus habet: qui non ibi, nec supra M. Aurelii columnam, ut prae ceteris Ciaconius in historia utriusque belli Dacici perperam est opinatus; sed in Hadriani sepulcro, quod *Arx S. Angeli*, & *Hadriani moles* indigitatur, conditi fuere. Capitolinus in eodem M. Aurelio cap. VII. id clare testatur: *Hadriaui autem sepulcro*, inquit, *corpus patris intulerunt magnifico exsequiarum officio.* Atque hoc idem exprimit inscriptio in eadem Hadriani mole extans, quae legirur etiam apud Mabillonium in antiqua veterum inscriptionum collectione tom. IV. Analect. pag. 500., atque in Thesauro Gruteri pag. CCLVII. 4.

IMP. CAESARI . T. AELIO . HADRIANO
ANTONINO . AVG. PIO . PONTIF. MAXIM.
TRIB. POT. XXIIII. IMP. II. COS. IIII. P. P.

Quae, ut videtur, immediate post ejus corporis cremationem, cineresque ibi conditos apposita fuit. *Divus* namque ibi non dicitur, utpote nondum con-

ſecratione cohoneſtatus: quae pro more, ut Herodianus tradit lib.iv., ſeptimo a morte die celebrabatur. Quare ampliſſimum hoc monumentum etſi Antonini ſepulcrum proprie dici non poſſit, quum non ibi ejus cineres adſervati fuerint: columna tamen eidem impoſita cum ſtatua Divorum habitu efficta, Inſcriptio, & Conſecrationis anaglypga in eo inſculpta quaſi alterum ejus ſepulcrum illud conſtituunt: quale ſcilicet apud veteres viris illuſtribus, corpore ſepulturae tradito, honoris ac memoriae tantum cauſſa alibi excitari ſolebat, quod alii *Inane*, alii *Imaginarium* dictum volunt. Hujusmodi erat illud Neronis Druſi ei a militibus ad Rhenum in Germania exſtructum: quod Suetonius in Claudio cap.i. *honorarium tumulum* vocat: quandoquidem illius corpus Romam delatum, atque inde combuſtum, in Auguſti Mauſoleo, ſive, ut ex epitome Liviana lib. extremo, in C. Julii tumulo conditum fuerat. *Corpus ejus*, inquit ibi Suetonius, *per municipiorum coloniarumque primores, ſuſcipientibus obviis ſcribarum decuriis, ad Urbem devectum, ſepultum eſt in Martio Campo. Ceterum exercitus honorarium ei tumulum excitavit*. De quo etiam mentio extat apud Tacit. lib. ii. Annal. cap. vii. Atque alterum Ravenne hujusmodi monumentum ipſe Druſus habuit, ut ibi antiquus lapis docet, qui ita ex Apiano, & Rubeo exſcriptus legitur apud Gruter. pag. ccxxxvii. 5.

Ti.

TI. CLAVDIVS . DRVSI . F. CAES. AVG.
GERM. PONT. MAX. TRIB. POT. II.
COS. DESIG. III. IMP. III. P. P. DEDIT
OB . MEMORIAM . PATRIS . SVI . DEC. VII.
COLLEGI . FABRVM . M. R. H-S. CIↃ. N. LIBERALITATE
DONAVIT . SVB . HAC . CONDITIONE . VT
QVOTANNIS . ROSAS . AD . MONVMENTVM
EIVS . DEFERANT . ET . IBI . EPVLENTVR
DVMTAXAT . IN . V. ID. IVLIAS
QVOD . SI . NEGLEXERINT . TVNC . AD . VIII.
EIVSDEM . COLLEGII . PERTINERE . DEBEBIT
CONDICIONE . *sic* SVPRA . DICTA

Hujus quoque generis fuerat Hectoris tumulus, de quo Vergil. lib. III. Aeneid. vers. 304.: unde *Inanis tumuli* appellationem eruditi deduxisse videntur:

Manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite inanem,
Et geminas, caussam lacrimis, sacraverat aras.

Statius itidem lib. XII. Thebaid. vers. 161.

Nomina, quod superest, vacuis datis orba sepulcris,
Absentesque animas ad inania busta vocatis.

Hoc Graeci κενοτάφιον dicunt. Idcirco Lampridius in Alexandro cap. LXIII. Graeca voce usus monumentum eidem Alexandro in Gallia exstructum *cenotaphium* appellat: *Cenotaphium*, inquit, *in Gallia*,

lia, Romae amplissimum sepulcrum meruit. Et Ovidius ad id tumulorum genus respiciens ita lib. II. Metam. vers. 429.

Et saepe in tumulis sine corpore nomina legi.

Ceterum si quis plura de hoc videre velit, viros eruditos adeat, Kirchmannum praecipue de Funeribus Romanor. lib. III. cap. XXVII., & Meursium ad Lycophronem pag. 189., ubi fusius de cenotaphio, & sepulcro differit.

Quod autem ad columnam attinet huic Antonini monumento impositam, etiamsi alia de caussa eidem antea erecta fuisset: quia tamen sepulcralis tumuli imaginem exprimit, veterem in ea ritum insignium virorum sepulcris columnas imponendi adhuc agnoscimus: quem nonnulli ab Aegyptiis acceptum referunt, qui in suorum Regum sepulcris pyramides, vel obeliscos excitabant. Plinius vero a Graecis derivatum id scribit lib. XXXIV. cap. VI., ubi hujus moris caussa his verbis exposita: *Columnarum ratio erat attolli supra ceteres mortales*; mox subdit: *Primus tamen honos coepit a Graecis.* Servius ad illud Vergil. lib. XI. vers. 850.

fuit ingens monte sub alto
Regis Derceni terreno ex aggere bustum
Antiqui Laurentis opacaque ilice tectum:

Apud majores, ait, *nobiles aut sub montibus altis, aut in ipsis montibus sepeliebantur; unde natum est, ut super cadavera aut pyramides fierent, aut ingen-*


tes

tes collocarentur columnae. Lucianus in Necyomantia, ſive in Menippi, & Philonidis Dial. tom. I. pag. 336. ex editione Graevii, id ita pro ſuo more perſtringit: εἰπὲ μοι ὦ Μένιππε, οἱ δὲ τοὺς πολυτελεῖς τούτους καὶ ὑψηλοὺς τάφους ἔχοντες ὑπὲρ γῆς, καὶ στήλας, καὶ εἰκόνας, καὶ ἐπιγράμματα, οὐδὲν τιμιώτεροι παρ' αὐτοῖς εἰσι τῶν ἰδιωτῶν νεκρῶν; *Dic Menippe, iſti qui ſumptuoſa excelſaque ſepulcra habent in terris, & columnas, & imagines, & titulos, nihilone apud inferos plebejis defunctis ſunt honoratiores?* Sed jam tempus adeſſe videtur, ut lectorem non his amplius morando, eorum, quae in hujus columnae ſtylobate inſculpta viſuntur, expoſitionem aggrediamur: ab occidentali ſcilicet ejusdem latere, ubi ipſius Antonini, aliorumque duorum Auguſtorum nomina ſunt expreſſa, initium facientes.

CAPUT

CAPUT. V.

Consecratis Divi *titulus delatus. Qui Graecis Θεᾶοι, vel Θεοι, &* Ηʹρωες, *Romanis* Divi. *Senatus neminem nisi mortuum* Divum *dixit; unde Angelonii, Erytii, Nardini, aliorumque opinio rejecta. Nummi aliquot Titi, ac Trajani ex Occone tanquam suspectae fidei damnantur. Suetonii locus vindicatus. Vossii opinio de tempore, quo Ovidius Augusti Apotheosim scripsit, improbata.*



IVI titulus, qui Antonini Pii cognominibus in inscriptione nostri lapidis praeponitur, quod illius Consecrationem mortemque simul designet, nemo est sane quisquam vel mediocriter in antiquis Romanorum ritibus versatus, qui nesciat. Satis exploratum est enim, quod apud veteres Romanos (si unum Trajanum Trajani Imperatoris patrem excipias, qui privatus licet, & non consecratus, in praestantissimo tamen nummo Mediceo Divus cum Nerva dicitur) ita ii Principes omnes denominabantur, qui post mortem inter Deos relati jam fuerant. Hinc est, quod nummi, & inscripti antiqui lapides, & leges quidem quamplurimae in corpore juris extant, quae ipsius Antonini Pii, aliorumque consecrato-

cratorum Imperatorum nomina praeferunt hoc titulo exornata.

Hos Graeci nunc Θείους, vel Θεοὺς effusa impiaque adulatione dicebant, ut satis superque ex illorum urbium nummis apparet: interdum Latina voce *Divi* utebantur, ut apud Cuperum in explicatione Gemmae Augustaeae ad Apotheos. Homeric. pag. 245., ubi nummus, in quo ANTINOOC ΔΙVOΣ legitur; quandoque vero Ἥρωας, & Augustas lorum mulieres, quas pariter Θείας, vel Θεὰς post earum consecrationem in nummis inscribebant, Ἡρωΐνας appellabant. Quare Dio in Augusto lib. LI. *Caesar*, inquit, *hoc tempore quum alia quaedam egit, tum templum Romae, ac patris sui, quem* Heroem *Julium vocabat, Ephesi, & Nicaeae fieri permisit.* Et lib. LVI. ex Xiphilino de eodem Augusto: *Subsequebanturque statuae majorum ipsius, atque propinquorum, qui e vita discesserant, uno tantum Caesare excepto, propterea quod esset in numerum* Heroum *relatus*. Et in Hadriano: *Hadrianus quanquam fuit Princeps humanissimus, tamen propter caedes quorundam bonorum civium, quas & initio principatus, & paullo ante quam moreretur, fecit, culpa non caruit, parumque abfuit, quin ob eam caussam ne in* Heroum *quidem numerum referretur.* Et Silenus apud Julian. de Caesar. M. Aurelium accusat, quod non recto rationis ductu impudicam uxorem Faustinam Ἡρωΐναις *Heroinis* adscripserit.

Etsi

Etſi vero qui apud Romanos *Divi*, a Graecis ſcriptoribus *Heroes* dicantur, ipſe tamen obſervo, quod praeter eundem Antinoum Bithynium juvenem, quem vecordi in Hadrianum adulatione Graecae aliquot urbes conſecrarunt, prope nullus ex Romanis Imperatoribus, vel quos ex eorum familia apotheoſi demens honoravit antiquitas, Heros in earum nummis inſcribitur: adeout praeclarus admodum ac vere ſingularis habendus ille foret hac epigraphe: ΗΡΩΑ. ΑΔΡΙΑΝΟΝ inſignitus, quem ſupra laudatum Gallandium Smyrnae inſpexiſſe, in ſua Diſſertat. de nummo Pantheo pag. 26. Nicaſius prodidit. Cujus rei cauſſa quae potiſſimum fuerit, quanvis ego haud facile aſſequi valeam: non ſine tamen conſilio id factum reor, ac fortaſſe, ut Graecae quoque urbes in ſuis nummis Romanorum morem referrent, qui quos conſecraverant Principes, in Deorum, non in Heroum coetum cooptabant: atque itidem, ut qui apud ſaniores viros tanquam Heroes habebantur, vulgus Deos illos eſſe crederet: indeque major in eosdem religio exterarumque gentium cultus induceretur.

Romanis autem privatis aeque ac publicis in monumentis, Romulo excepto, qui *Deus Quirinus* dicebatur; reliquos deinde Conſecratos *Divos* paſſim, vel, ut poſtea, voce alia ab ea deducta, *Divinos*, ſeu *Divales*, ut ex Rufi codice Palatino cap. xiv., denominare mos fuit. Unde Frontin. de Coloniis: *Variis temporibus*,

bus, inquit, *& a Divinis Imperatoribus agri ſunt adſignati*. Et Feſtus Rufus in Breviario: *In tempus Divalis Conſtantii reſervata duravit*. Inſcriptio autem *Deo Auguſto*, quae in aliquibus Auguſti nummis legitur, vel Tarraconenſis Coloniae eſt, cui Graecorum morem adulationemque imitari in hoc placuit: vel Gallieni, qui in Auguſti nummis ab ipſo reſtitutis illam repetere voluit. Praeter hos enim nummus alius, qui ad Conſecratos pertineat, ſuperbo Dei titulo inſcriptus nuſquam obſervatur: ita ut Imperatores nonnulli prae omnibus ambitioſiſſimi, qui eandem Dei appellationem impie in vita ſibi uſurparunt, poſtea mortui & conſecrati non amplius *Dii*, ſed *Divi* nuncupantur, uti ex nummo Aureliani apparet apud Cl. Spanhemium de uſu, & praeſt. numiſmatum pag. 729. cum hac epigraphe: *Deo, & Domino nato Aureliano*: qui poſtea vita functus in nummis ſuae Conſecrationis *Divus Caeſ. Aurelianus* dicitur. Ita Carus, cui nummus cum inſcriptione *Deo, & Domino Caro Aug.* fuerat percuſſus, poſt mortem *Divus Carus Pius*, vel *Auguſtus*, vel *Parthicus* eſt appellatus. Et Domitianus, qui, ut refert Sueton. in eodem cap. XIII., ſe pariter *Dominum Deumque* publice nuncupaverat, *nec Divus*, ſcribit Eutrop. lib. VII., *poſt mortem meruit appellari*.

Ex his itaque, quod hujuſmodi Divi titulus apud Romanos quaſi quidam conſecrationis mor-

tisque index fuerit, satis perspicitur. quod Servius etiam abunde declarat ad lib. v. Aeneid. vers. 45.: ubi inter Deos Divosque distinctionem hanc faciens, ut Dii sint perpetui, Divi ex hominibus facti, Divos dictos inde adjicit, *quasi qui diem obierint*. Et Isidor. in Glossar. *Divus*, inquit, *Imperator ille dicitur*, *qui post mortem Dei nomen accepit*.

Quod quanvis ita sit, & Arcus Titi ad Palatini radices positus in ea parte, quae Metam sudantem respicit, inscribatur:

Senatus . Populusque . Romanus
Divo . Tito . Divi . Vespasiani . F.
Vespasiano . Augusto

Nardinus tamen lib. iii. cap. xiii. ob inscriptionem hanc aliam, quam ab eodem Arcu non procul repertam Faunus tradit, vivo ne an mortuo Tito Arcus ille fuerit erectus, dubitare videtur:

S. P. Q. R.
Imp. Tito . Caes. Divi . Vespasiani . Filio
Vespasiano . Aug. Pont. Max. Tr. Pot. X.
Imp. xvii. xiiii. P. P. Principi . Suo . Qui
Praeceptis . Patriae . Consiliisq. Et
Auspiciis . Gentem . Iudeorum . Domuit
Et . Urbem . Hierosolymam . Omnibus . Ante
Se . Ducibus . Regibus . Gentibus . Aut . Frustra
Petitam . Aut . Intentatam . Delevit

Quae quidem inscriptio ad eundem Arcum spectare, ut Faunus putat, nullo pacto poterit. nam prae-

praeter *Divi* titulum in priori inſcriptione expreſſum, Aquila conſecrationis ſymbolum in medio ipſius Arcus fornice viſitur, quae Titi animam ad caelum defert. Nardinus autem quod idem *Divi* nomen ipſi Tito vivo etiam aptari poſſit, Franciſcum Angelonium teſtem advocat, qui in ſua Hiſtoria Auguſta pag. 83. poſt ejuſdem Titi nummum cum Amphitheatro appoſite explicatum, alios exinde vel dubiae fidei, vel perperam exſcriptos nummos prodit: quibus quod non mortui tantum Imperatores; ſed quod eorum etiam aliqui ſuperſtites adhuc Divi fuerint appellati, nititur probare.

Laudat ibi Angelonius alterum Titi nummum, in quo caput ipſius laureatum cernitur, inſcribiturque, IMP. T. CAES. VESP. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. VIII., & in parte altera, ubi militaribus ſpoliis Titus inſidet, legitur, ut ipſe ait, DIVO. AVG. T. DIVI VESP. F. VESPASIAN. S. C. Ubi vero monſtrum, quo nec Africa immanius unquam proferet, nos cernimus, viventem nempe Titum, qui ſibi jam mortuo nummos a Senatu adſpicit obſignari. Quod Bellorium in altera ejuſdem hiſtoriae Auguſtae editione etiam adnotaſſe comperimus: ſed quae reliqua ne mitiora quidem nobis ab Angelonio in arenam proferuntur, vir eruditus minime animadvertit. Ex Occone etenim Trajani nummum Angelonius recitat cum hujuſmodi epigraphe: *Divo Nervae Trajano Aug. P. M. Tr. P. Cos. III. P. P.*, qui in parte

 averſa

aversa hanc aliam inscriptionem exhibet: *Profectio Aug. Germaniae S. C.*, atque alios itidem ipsius Imperatoris nummos eundem Divi titulum praeferentes laudat, in quibus nimirum, ut apud eundem Occonem videre licet pag. 198., vel Imperator cohortes adloquitur, vel sacra peragit, sive tunicatus hinc inde duos equos dextra sinistraque capistris tenet: aut denique currui triumphali a quatuor equis tracto insidet. qui omnes mihi non suspectae fidei tantum, ut dixeram, immo absque ulla prorsus haesitatione indubitatae falsitatis imperitique artificis opera judicantur. Ita mihi sentienti adstipulatur Cl. Vaillantius, qui tom. I. numism. Imper. Rom. pag. 52. lectorem admonet, *multos describi ab Occone nummos Trajani, & quidem historicos, quos dubiae fidei, aut novos*, ut inquit, *existimamus, quum multos ex iis ab Antiquariis probatis hactenus non inspectos fuisse accepimus*. In quorum numero hi praecipue erunt nobis omnino reponendi. Caeterum & alteri legitimo tamen, quanvis obvio, Augusti nummo, de quo pariter Bellorius, ut video, nos monuit, Angelonii allucinatio innititur. Hic radiatum Augusti caput exhibet cum hoc elogio: Divvs. Avgvstvs. S. C., & in parte altera velata quaedam mulieris figura sedet dextera spicas, sinistra facem accensam gerens, quae Livia, sive Julia sub imagine Cereris creditur, & inscribitur: Diva. Avgvsta. Iste sub Claudio est percussus: sed quia in eo

im-

impressae hae literae visuntur: N. C. A. P. R. *Nobis concessum a Populo Romano*; hinc ex sententia Erytii, vivis adhuc Augusto, eademque ejus uxore Livia, ad quos nummus pertinet, Angelonius scalptum fuisse putavit, perinde ac si Augustus ipse tunc talia in nummo verba protulerit. Si vero vel Erytius, vel Angelonius id attentius observassent, non adeo quidem enormiter viri eruditissimi decepti fuissent. Eorum autem error primo evincitur, quod haec, vel alia hujusmodi nota, PROB. scilicet, non Imperatoris, in cujus honorem Senatus nummos cudi curabat, sed Monetariorum signum erat, qui aliquibus in nummis per ejusmodi notas, sub Tiberio, & Claudio praesertim, nummos signandi potestatem a Senatu impetratam indicare solebant. Secundo Livia nedum sub Augusto, sed nec mortua, Tiberio imperante, meruit Divinis honoribus decorari. Scribit enim Sueton. in eodem Tib. cap. LI. quod *toto quidem triennio, quo vivente matre abfuit, semel omnino eam nec amplius quam uno die, ac paucissimis vidit horis: ac mox neque aegrae adesse curavit, defunctamque & dum adventus sui spem facit, complurium dierum mora corrupto demum ac tabido corpore funeratam prohibuit consecrari; quasi id ipsa mandasset*. Quapropter quam perperam ejusmodi Liviae nummos cum eodem DIVAE . AVGVSTAE elogio, ejusque caput modo nudatum, modo velo coopertum exhibentes, inter nummos Tiberii Angelo-

gelonius collocarit, nihil eſt ſane clarius. Mortuo vero C. Caeſare Caligula, eique in Imperio ſucceſſor Claudius renunciatus, hic Apotheoſi, qua Liviam Tiberius privaverat, eſt proſequutus. Cujus rei Sueton. in ejus vita cap. XI. his verbis meminit: *Aviae Liviae divinos honores, & Circenſi pompa Currum Elephantorum Auguſtino ſimilem decernendum curavit.* Et Dio lib. LX. de eodem Claudio: *Aviam Liviam*, inquit, *praeter hunc honorem immortalitati adſeruit, dedicavitque ejus effigiem in templo Auguſti, ac rem ſacram ei fieri a Veſtalibus mandavit, mulieresque per nomen ejus jurare juſſit.* Livia propterea a Claudio conſecrata, tunc nummi, qui Erytio, & Angelonio vel Auguſti, vel Tiberii temporibus inani prorſus conjectura adjudicantur, ejuſdem Liviae, vel ſimul Auguſti ejus Conjugis aſſertam immortalitatem, divinitatemque declarantes, cuſi fuere: addita praeterea in nonnullis, ut jam ſuperius monuimus, monetali nota, quae quam frequens in Claudii nummis obviaque ſit, iis notum ſatis, qui veterum nummorum collectioni ſtudent. Licet vero haec de Livia duobus his laudatis viris opinio fuerit: attamen quod Auguſtus nondum mortuus *Deus Divuſque* nuncuparetur, & alii quidem, ut nihil diſſimulem, ante ipſos, iique probatiſſimi Scriptores, quodammodo ſentiiſſe videntur. Appian. Alex., quem ſibi adſtipulari ii credunt, lib. I. de bello Civ. edit. Henr. Stephani pag. 352. de Auguſto loquens,

vivus,

vivus, ait, *vidensque consecratus, & Augustus a Populo Romano appellatus*. Et libro v. pag. 746. *Hic tum bellorum finis visus est, quum Caesar vigesimum octavum annum egisset, oppidatim inter Deos tutelares consecratus*. Victor Schotti in Caesaribus, ubi de eodem Augusto: *Pater Patriae*, ait, *ob clementiam, ac Tribunitia potestate perpetuo habitus: hincque uti Deo, Romae, provinciisque omnibus per urbes celeberrimas, vivo mortuoque templa, sacerdotes, & Collegia sacravere*. His & illud Vergilii addunt in eclog. I., ubi de eodem Augusto sermo est:

Deus nobis haec otia fecit:
Nanque erit ille mihi semper Deus: illius aram
Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

ubi Servius: *Semper, idest, post mortem, & dum vivit. Alii Imperatores post mortem in numerum referuntur Deorum: Augustus vivus templa emeruit*. Item Propertius lib. III. eleg. IV.

Arma Divus Caesar dites meditatur ad Indos

Hor. lib. III. ode v.

praesens Divus habebitur Augustus.

Et lib. IV. ode v. ad ipsum Augustum:

Hinc ad vina redit laetus, & alteris
Te mensis adhibet Deum.
Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris, & laribus tuum

Miscet

Miscet numen, uti Graecia Castoris,
Et magni memor Herculis.

Et Epist. i. lib. ii. ad eundem:

Praesenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Quae si rectius tamen considerentur, constabit utique Romae Augustum pro Deo in vita habitum fuisse, sed privato potius Civium cultu, Deumque simul non a Senatu, sed a Poetis appellatum, *qui*, ut Lactantii verbis utar, *compositis ad voluptatem carminibus, in caelum illum sustulerunt: sicut faciunt qui apud Reges etiam malos panegyricis mendacibus adulantur*. Divinos praeterea honores ei exhibitos, aras templaque posita, sacerdotes institutos, atque alia id genus, quae a superstitiosissimis gentibus poterant in adulationem maximi potentissimique Principis excogitari, ei delata fuisse admittimus. Sed haec provinciales urbes ei contulerunt, quibus antea in libera Republica mos idem, ac lege cautum fuerat, iisdem prorsus honoribus Proconsules Praetoresve prosequi: uti de hoc Cicero testatur in epist. ult. lib. v. ad Atticum, ubi quum in Cilicia Praetor esset, *nullos*, inquit, *honores mihi nisi verborum decerni sino: statuas, fana,* τέθριππα *prohibeo.* Et in epist. i. ad Q. Fratrem scribit, pecunias pro templo, & monimento a Civitatibus ipsi oblatas non recepisse, *Quod*, ait, *quum ad templum monimentumque nostrum civitates pecunias decrevissent,*

ſent, quumque id & pro magnis meis meritis, & pro tuis maximis beneficiis ſumma ſua voluntate feciſſent: nominatimque lex exciperet, ut ad templum monimentumque capere liceret, quumque id quod dabatur non eſſet interiturum: ſed in ornamentis templi futurum, ut non mihi potius, quam Populo Romano, ac Diis immortalibus datum videretur: tamen id, in quo erat dignitas, erat lex, erat eorum, qui faciebant, voluntas, accipiendum non putavi. Immo hac in re Auguſtus adeo prout illorum temporum conditio erat, moderationi ſtuduit, ut, Suetonio teſte in ejus vita cap. LII., *Templa quanvis ſciret etiam Proconſulibus decerni ſolere: in nulla tamen provincia, niſi communi ſuo Romaeque nomine recepit: nam in Urbe quidem pertinaciſſime abſtinuit hoc honore. Atque etiam argenteas ſtatuas olim ſibi poſitas conflavit omnes, exque iis aureas Cortinas Apollini Palatino dedicavit*; quod in marmore quoque Ancyrano memoriae fuit conſignatum. In notis ad Victorem Schotti de Caeſaribus cap. I. Anna Fabra ſuperius mihi laudata Suetonium redarguere videtur, quod talia de Auguſto proferat; quod ſcilicet ei vivo templa Romae poſita non fuiſſe tradiderit; quandoquidem Plinius lib. XII. cap. XIX. contrarium prorſus oſtendat. At mulier eruditiſſima non animadvertit de templo Plinium loqui Auguſto poſt mortem Romae erecto, quod a nemine in dubium poterit revocari. *Radicem ejus*

(Cinnami) Plinius, ait, *magni ponderis vidimus in Palatii templo, quod fecerat Divo Auguſto conjux Auguſta, aureae paterae impoſitam: ex qua guttae editae annis omnibus in grana durabantur, donec id delubrum incendio conſumptum eſt*. Quod Dio in eodem ita confirmat: *Decretum quoque Romae Auguſto ſacrarium a Senatu, a Livia autem & Tiberio factum*. Quare potius ex Suetonio Victoris locus ſuperius allatus explicandus Annae fuerat, itaut mens illius conſtaret, quod vivo Auguſto templa cum ſacerdotibus in provinciis, Romae vero poſt ejus obitum ſacrata, inſtitutaque fuerint. Quod etiam ex Victore altero in epitome cap. I. ubi de Auguſto, abunde evincitur. Haec Victor: *Igitur mortuum, ſeu necatum, multis noviſque honoribus Senatus cenſuit decorandum. Nam praeter id, quod antea* Patrem Patriae *dixerat, templa tam Romae, quam per urbes celeberrimas ei conſecravit*. Tacit. lib. I. annal. num. II. de Auguſto: *Ceterum ſepultura more perfecta, templum, & caeleſtes religiones decernuntur*.

Verum quod ille ab ambitioſa omni prorſus appellatione non tantum Dei, ſed etiam Domini abſtinuerit, ex Philone habetur in lib. de legat. ad Cajum: τοῦ μὴ, inquit, ταῖς ὑπερόγκοις τιμαῖς δεθῆναι, καὶ φυσηθῆναί ποτε πίστις ἐναργεστάτη, τὸ μὴ δεσπότην μήτε θεὸν ἑαυτὸν ἐθελῆσαι προσειπεῖν, ἀλλὰ κἂν εἰ λέγοιτό τις, δυσχεραίνειν, καὶ τὸ τοὺς Ἰουδαίους ἀπο-

ἀποδέχεσθαι, οὓς ἀκριβῶς ᾔδει πάντα ἀφοσιουμένους τὰ τοιαῦτα. *Ipsum nunquam inflatum obsequiis, hinc certo colligitur, quod nunquam sustinuit se appellari Deum vel Dominum, aversatus hanc adulationem, nec dissimulans, probari sibi Judaeos, qui abominarentur talia.* Et Sueton. de eodem cap. LIII. *Domini appellationem, ut maledictum, & opprobrium semper exhorruit.* Immo subdit: *quum spectante eo ludo, pronuntiatum esset in mimo: o Dominum aequum, & bonum! & universi quasi de ipso dictum exultantes comprobassent: & statim manu vultuque indecoras adulationes repressit, & insequenti die gravissimo corripuit edicto, Dominumque se posthac appellari ne a liberis quidem, aut nepotibus suis, vel serio, vel joco passus est: atque hujusmodi blanditias etiam inter ipsos probibuit.* Unde Tertullianus in Apologet. cap. XXXIV. *Augustus*, ait, *imperii formator, ne Dominum quidem dici se volebat, & hoc enim* DEI *est cognomen.* Quapropter si a Domini appellatione ita Augustus abhorruit, ut in eos, qui superbo hoc titulo ipsum salutarent, rigide animadverterit: quae subinde ratio erit, ut cum Erytio, Angelonio, aliisque credamus, in nummis tam Romae, quam in Tarraconensi Colonia percussis, se Deum, Divumque appellari permisisse? eo magis, quod hujusmodi Dei vel Domini tituli per id tempus Tyrannorum attributa erant: & Divi praenomen nonnisi pro infausto mortis omine vivis Impera-

peratoribus deferebatur. De quo insigne testimonium extat apud Tacit. lib. xv. annal. in fine, ubi haec de Nerone: *Reperio*, inquit, *in commentariis Senatus, Cerialem Anicium Consulem designatum pro sententia dixisse, ut templum Divo Neroni quammaturrime publica pecunia poneretur. Quod quidem ille decernebat, tanquam mortale fastigium egresso, & venerationem hominum merito: quod ad omina olim sui exitus verteretur. nam Deum honor Principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit*. Et Vespasianus apud Sueton. cap.XXIII. quum proxima ei mors instaret, *in prima quoque morbi accessione, ut puto, inquit, Deus fio*. Propterea Tertullian. loco praecitato scribit, quod *maledictum est ante apotheosin Deum Caesarem nuncupare*. Nec minus clare Minutius Felix in Octavio id explicat: *Et Divi ceteri Reges, qui consecrantur non ad fidem numinis, sed ad honorem emeritae potestatis. Invitis his denique hoc nomen adscribitur: optant in homine perseverare, fieri se Deos metuunt, etsi jam senes, nolunt*. Eutrop. denique apertis verbis declarat, Augustum Divum non antea dictum, quam diem suum obierit: *Moriens*, ait, *Divus appellatus est, & Rempublicam beatissimam Tiberio successori reliquit*. Hinc Auson. de XII. Caesar.

Addidit Augustum Divis matura senectus.

Hic autem satis mirari nequeo, Viro doctissimo Gerardo Vossio, cujus laus in sublimi loco sita est,

eſt, eam fuiſſe opinionem, ut Apotheoſin, quam de Auguſto in exſilio Naſo cecinit, eidem ſuperſtiti ille ſcripſerit. Quod ex iis, quae lib.IV. de Ponto eleg.IX. idem habet, ſibi conjici poſſe videtur: Haec ibi Ovidius:

Tu certe ſcis hoc ſuperis, adſcite, videſque
Caeſar; ut eſt oculis ſubdita Terra tuis.
Tu noſtras audis inter convexa locatus
Sidera, ſollicito, quas damus ore preces.
Perveniunt iſtuc & carmina forſitan illa,
Quae de te miſi caelite facta novo.

Ex quibus porro ſatis cuique eluceſcit, Ovidium de Auguſto jam vita functo, ac inter ſidera locato ſuum carmen compoſuiſſe. Id tamen clarius in Epiſt. VI. ejuſdem libri expreſſit:

Coeperat Auguſtus deceptae ignoſcere culpae
Spem noſtram, terras deſeruitque ſimul.
Quale tamen potui de caelite, Brute, recenti
Veſtra procul poſitus carmen in ora dedi.

Immo in epiſt. XIII. ad Carum ſe carmen illud Getico ſcilicet idiomate non ſub Auguſto, ſed ſub Tiberio ſcripſiſſe aperte declarat.

Ah pudet! & Getico ſcripſi ſermone libellum,
Structaque ſunt noſtris barbara verba modis:
Et placui (gratare mihi) coepique Poetae
Inter inhumanos nomen habere Getas.
Materiam quaeris? laudes de Caeſare dixi
Adjuta eſt novitas numine noſtra Dei.

Nam

Nam Patris Augusti docui mortale fuisse
Corpus, in aetherias numen abisse domos.
Esse parem virtute patri, qui frena coactus
Saepe recusati coeperit Imperii.


Ubi de Tiberio ipsius Augusti per adoptionem filio hisce duobus postremis carminibus Ovidium loqui, non est qui dubitet; de cujus in regimine capessendo ficti animi cunctatione Sueton. etiam in eodem cap. XXIV. *Principatum*, inquit, *quanvis neque occupare confestim, neque agere dubitasset, & statione militum, hoc est, vi, & specie dominationis assumpta, diu tamen recusavit impudentissimo animo*: & paullo post: *Tandem quasi coactus, & quaerens miseram, & onerosam injungi sibi servitutem, recepit imperium: nec tamen aliter quam ut depositurum se quandoque spem faceret.*

Praeter Augustum vero, & Liviam, Titum, ac Trajanum, quod Antoninus etiam initio imperii sui Divus fuerit appellatus, est qui scripsit, Vertranio teste in adnotationibus ad Tacitum lib. XV. Annal. ubi supra. Sed qua conjectura, quave auctoritate nitatur, non explicat. Cujus tamen roboris opinio haec etiam esse possit, ut an ei assentiri debeat, Vertranius ipse ignoret, ex iis quae abunde praemisimus, jam satis perspici poterit.

CAPUT

CAPUT . VI.

In Conſecratis titulus Divi *loco praenominis uſurpatus. Varia Antonini nomina. Panvinii error in faſtis deprehenſus. Antonini origo. Schotti Victor notatus. Cur Antoninus a Senatu* Pius *dictus, & quando.*



ITULUS hic autem *Divi*, de quo ſuperius abunde diſſeruimus, tanquam novum ſplendidumque praenomen, veteri ac peculiari Conſecrati praenomine omiſſo, reliquis ejus nominibus copulabatur: Tito Veſpaſiano, & Marco Antonino tamen exceptis, qui, ad parentum ſuorum diſtinctionem, ut reor, mortui etiam & conſecrati propria nunquam praenomina amiſerunt. Unus enim, ut vulgata res eſt, Divus T. Veſpaſianus, alter vero Divus M. Antoninus in nummis, literatiſque lapidibus appellatus occurrit. Verum ut major nominis majeſtas eſſet, non omnibus, quae conſecratus vivens habuerat, ſed iis tantum nominibus aſſociari patiebatur, quibus ille frequentius in vita nuncupari ſolebat. De quo praeter innumera propemodum, quae in antiquis monumentis exempla extant, illuſtre in noſtro hoc marmore teſtimonium habemus: ubi Antoninus, qui Titi praenomine, ac tot aliis nominibus

antea

antea fruebatur, Aurelii nempe, Aelii, Hadriani, Fulvi, Bojonii, Arii: modo Antoninus, (nam Augusti appellatio dignitatis cognomen erat) & Pius tantum post suam consecrationem appellatur. Titus etenim ex avi paterni, ac patris praenomine, sicuti ex eorum cognominibus Fulvus etiam est dictus. Fulvius legitur apud Capitolinum; sed minus recte: quum ejusmodi nominis desinentiae Romanorum cognomina terminandi ratio repugnet, ut in lib. de nominibus Romanorum Robortellus, & Sigonius jam erudite praenotarunt, eique Fasti quoque Consulares, ut Casaubonus itidem animadvertit, omnino adversentur, in quibus nunquam *Fulvius*, sed *Fulvus*, vel, ut semel, *Furvus* inscribitur. Ubi obiter mihi Panvinii error deprehenditur, utpote qui annos aerae vulgaris 85. & 89., ac secundum ejus supputationem 86: & 90., qui *Domitiano XI. & Fulvo*: item *Fulvo II. & Atratino* signantur, ad T. Aurelium Fulvum T. F., nempe Antonini Pii patrem refert, quando ad T. Aurelium Fulvum ejus avum spectare omnino ii debent. Quod Capitolin. in Pio cap. 1. ita nos docet: *ejus*, inquit, *avus Titus Aurelius Fulvius, qui per honores diversos ad secundum consulatum, & praefecturam Urbis pervenit*. T. vero Aurelius Fulvus T. F. illius pater semel tantum, eodem Capitolino teste, Consul fuit, & suffectus quidem, non ordinarius, quum in fastis ejus nomen ordinariorum Consulum locum nusquam obti-

obtineat. Aurelii nomen deinde, quod de more immediate T. praenomini accedit, quod gentile ejus fuerit, nemini prorſus ignoratur. Cujus gentem, dum Romana Reſpublica libertate potiebatur, plures quidem Conſulares viros, ac triumphali honore donatos habuiſſe ex Fulvio Urſino, & Antonio Auguſtino diſerte oſtenditur: qui plebejam, & a Sabinis ortam faciunt, eanque in tres, Cottarum nempe, Oreſtarum, & Scaurorum familias dividunt. Cum quibus tamen ſi rem aliquam habuerit haec Fulvorum familia, ex qua Pius, non liquido conſtat. Id ſane compertum eſt, quod etſi Capitolinus, & Eutropius claram illam quidem, ſed veterem non admodum fuiſſe tradant, quia forſan Romae ſero innotuit, utpote ex Nemauſo illuſtri Galliae Narbonenſis urbe, & Colonia, & poſtea ex Lanuvio Latii municipio, in qua natus Antoninus & educatus oriunda, illam nihilominus veterrimam Schotti Victor appellat. Aelii Hadriani praeterea ſibi nomen adſciverat, quia ab Imp. Aelio Hadriano adoptatus: Bojonii ex avia materna, ut Gruterus, & Salmaſius putant, quae Bojonia Procella nuncupabatur. Cujus familiae mentio extat etiam in lapide Puteolano nuperrime effoſſo, ac ſuperius nobis laudato, in quo haec inſculpta habentur:

T. ANONIO . BOIONIO
CHRYSANTI.

Antonini vero nomen Arriorum familiae cognomen erat, eique ex materno ejus avo inditum, qui

Arrius Antoninus nominabatur; de quo Capitolin. in Pio cap. I. haec memorat: *Avus maternus Arrius Antoninus, bis consul, homo sanctus, & qui Nervam miseratus esset, quod imperare coepisset.* Et apud Victor. in epitome cap. XII.: *Qui*, Nerva scilicet, *quum in Curiam a Senatu gratanter exceptus esset, solus ex omnibus Arrius Antoninus vir acer, eique amicissimus conditionem imperantium prudenter exprimens amplexus eum gratulari se, ait, Senatui, & populo, provinciisque; ipsi autem nequaquam: cui satius fuerat malos semper Principes eludere, quam tanti oneris vim sustinentem, non molestiis modo, & periculis subjici, sed famae etiam inimicorum pariter, & amicorum: qui quum se mereri omnia praesumunt, si quicquam non extorserint, atrociores sunt ipsis quoque hostibus.* Hujus Arrii Antonini fit mentio in lapide Tifernate apud Grut. pag. CCCCXCIV. 5. Quare & ipse Antoninus Imperator a Spartiano, & Capitolino Arrius dicitur. Postquam vero hoc Antonini nomen ipsi Pio, ejusque successori Marco optimis Principibus adhaeserat, in summa quidem veneratione est habitum: adeo ut apud Spartian. in Severo cap. XX., & XXI., & apud Lamprid. in Elagab. cap. II. *Sanctum*, ac *venerabile* dicitur. Quinimmo ab eodem Lamprid. in Diadumen. cap. III. superstitiose etiam pro eo supplicatum fuisse traditur: *Fecitque*, ait, *Bassiani simulacra ex auro, atque argento, atque dies septem supplicatio*

pro

pro Antonini nomine celebrata est. Nimium profecto Senatui & populo, militibusque cordi fuisse videtur, ut Antonini nomen, quod pro fausto boni, optimique regiminis Imperiique perpetuitatis omine accipiebant, in suis Caesaribus propagatum viderent. Quapropter idem Lamprid. loco superius allato cap. I. tradit, quod *quum primum innotuit per legiones, occisum esse Bassianum, ingens maeror obsedit omnium pectora, quod Antoninum in Republica non haberent, existimantium, quod cum eo Romanum esset imperium periturum*: & cap. VI. *Fuit quidem*, inquit, *tam amabile illis temporibus nomen Antoninorum, ut qui eo nomine non niteretur, mereri non videretur imperium*. Quod patet etiam ex Capitolino in Macrino cap. III., ubi haec scribit: *sed alii idcirco Antoninum Diadumenum a Macrino patre appellatum ferunt, ut suspicio a Macrino interfecti Antonini Bassiani militibus tolleretur. Alii vero tantum desiderium nominis hujus fuisse dicunt, ut nisi populus, & milites Antonini nomen audirent, imperatorium non putarent*. Macrinus propterea apud Lamprid. cap. VII. post Antonini nomen Diadumeniano filio inditum cum Nonia Celsa sui conjuge per epistolam gloriatur, *non tam se ad imperium pervenisse, qui esset secundus imperii, quam quod Antoniniani nominis esset pater factus, quo clarius*, inquit, *illis temporibus non fuerat vel Deorum*. Hinc est, quod Commodus, An-

 tonini

tonini nomine rejecto, quum se potius Herculem dici voluisset, his apud eundem Lampridium jambis impellitur: qui a malo, ut ipse ait, Poeta ita Latino perpetuoque pentametro sunt redditi:

Commodus Herculeum nomen habere cupit,
Antoninorum non putat esse bonum.
Expers humani juris, & imperii:
Sperans quinetiam clarius esse Deum,
Quam si sit princeps nominis egregii.
Non erit iste Deus, nec tamen ullus homo.

Enimvero Antonini nomen tam ab omnibus desiderabatur, ut per sexaginta tres, vel quatuor annos post Pii obitum in Romanis Caesaribus permanserit: sed non aeque tamen. siquidem, *solus Marcus*, ut ait Capitolin. in Macrino cap. VII., *nomen illud sanctum vitae genere auxisse videtur: Verus autem degeniasse: Commodus vero etiam polluisse sacrati nominis reverentiam. Jam quid*, ipse addit, *de Caracallo Antonino, quidve de hoc*, Macrino scilicet, *potest dici? Postremo etiam quid de Heliogabalo, qui Antoninorum ultimus in summa impuritate vixisse memoratur?*

Sunt vero qui scribunt, post Elagabalum Gordianos etiam Antoninos dictos fuisse. Schotti Victor cap. XXVI. *repente*, ait, *Antoninus Gordianus Africae Proconsul ab exercitu Princeps apud Thydri oppidum absens fit.* Capitolinus in Tribus Gordianis cap. III. *jam illud*, inquit, *satis constat, quod filium*

filium Gordianum nomine Antonini & signo illustravit: atque eadem prorſus habet in Gordiano Juniore cap. XVII. Huc faciunt inſcriptiones apud Gruterum pag. XXIV. 14., & pag. LVII. 5. Aliae itidem apud Reineſ. claſ. III. num. XXXVII., XXXVIII., & XXXIX., & apud Fabrettum ex Schedis Vaticanis cap. X. num. LXIII.: in quibus omnibus Gordianus cognomento Pius, qui tertius & ultimus, Antoninus inſcribitur. Lampridius in Elagabalo cap. XVIII. id minime admittere videtur. ait enim: *Hic ultimus Antoninorum fuit, quanvis cognomine poſtea Gordianos multi Antoninos putent, qui Antonii dicti ſunt, non Antonini*: & cap. XXXIV. *etiam illud addendum eſt, ne quis error oriatur, quum duos Gordianos narrare coepero, patrem, ac filium, qui ſe de Antoninorum genere dici volebant, non nomen in illis primum fuit, ſed praenomen. Deinde, ut pleriſque in libris invenio, Antonii dicti ſunt, non Antonini*. Et Capitolinus in Macrino cap. III. *Nec inter Antoninos*, inquit, *referendi ſunt duo Gordiani, qui aut praenomen tantum Antoninorum habuerunt, aut etiam Antonii dicti ſunt, non Antonini*. Sed ab Antoninorum numero eos penitus excludunt inſcriptiones quamplurimae, quae extant apud eundem Gruterum pag. XXX. 1. LXXXIX. 2. CCLXXII. 1. uſque ad 6., & pag. MVI. 8., MLXXXV. 10. 11.: item apud eundem Fabrettum ibidem num. LXIV., & LXV.: quae Antonium Gordianum habent, non Antoninum:

num. Hoc ſatis etiam comprobant veteres nummi, Graeci praecipue, in quibus diſerte legitur: M. ANTΩNIOC. ΓΟΡΔΙΑΝΟC: Latini vero, quia nomen compendioſe ſcriptum praeſeferunt, hoc eſt, M. Ant. Gordianvs, propterea ex iis quoque docemur, Antonios, non Antoninos nuncupatos fuiſſe. nuſquam enim in Antoninorum nummis Antonini cognomen contractum ac per initiales tantum literas indicatum invenies. Quo tamen jure antiquiſſimae Antoniae gentis nomen iſti ſibi Gordiani adſumpſerint, non eſt hic locus perſcrutandi: tum quia de hoc facile Illuſtriſſimus Gisbertus Cuperus in ſua Trium Gordianorum Hiſtoria, quam propediem typis denuo committet plurimum, ut audivimus, auctam, numeriſque omnibus abſolutam, ſingulari, quo pollet ingenio, eruditioneque, abunde nos inſtruet. Recte igitur, ut in viam redeamus, Lampridius cap. xi. de Elagab. dixerat: *Poſtremo quum accepit imperium, Antoninus appellatus eſt: atque ipſe in Romano imperio ultimus Antoninorum fuit.* Licet vero ab optimis Principibus id nomen incoeptum ad has uſque ſordes, Elagabalum ſcilicet, perveniſſet: adeo tamen libenter ab omnibus audiebatur, ut poſt ejuſdem Elagabali mortem in Alexandro etiam illius ſucceſſore Populus Romanus producendum quammaxime optaverat. Extant apud Lamprid. in eodem Alexandro tumultuariae acclamationes, quibus, ut Antonini nomen idem Imperator aſſumeret, Senatus non

non illum tantum rogabat, ſed vim ei propemodum inferebat. Ipſe tamen ſe imparem dicens, ut tanto nomini aeque poſſet reſpondere, illud conſtantiſſime recuſavit. *Ne quaeſo*, inquit, *P. C., ne me ad hanc certaminis neceſſitatem vocetis, ut ego cogar tanto nomini ſatisfacere*. Pii vero alterum noſtri Antonini cognomen, ut ex quibuſdam ejus nummis conſtat, aliquando recepit, quo, paucis exceptis, ceteros deinde Imperatores aeque ac Auguſteo titulo inſignitos cernimus. His nihilominus ob dignitatis faſtigium Pii cognomentum Senatus detulit, Antonino vero, de quo loquimur, virtutis cauſſa impoſuit. Servius ad I. Aeneid. verſ. 378. hujus cognominis etymum explicans, *ſane Pius*, inquit, *poteſt eſſe & purus, & innocens, & omni carens ſcelere*. Quanvis autem pro illorum temporum conditione talis fuerit Antoninus, utpote qui vitae probitate, manſuetudine, morumque innocentia a ſcriptoribus omnibus laudetur, a Schotti praeſertim Victore cap. XV. ubi de eodem inquit: *hunc fere nulla vitiorum labes maculavit*: aliae tamen ab Hiſtoricis hujus cognominis eidem imponendi cauſſae adſignantur. Pauſan. de eodem in Arcad. cap. XLIII. τοῦτον Εὐσεβῆ τὸν βασιλέα ἐκάλεσαν οἱ Ρωμαῖοι, διότι ἐς τὸ θεῖον τιμῇ μάλιστα ἐφαίνετο χρώμενος. *Hunc Romani Pii cognomine appellarunt, quod unus omnium religionum ſtudioſiſſimus fuerit*. Spartian. in Hadriano cap. 24. *Antoninus quidem Pius idcirco appellatus dici-*

dicitur, quod Socerum fessum aetate manu sublevarit, quanvis alii cognomentum hoc ei dicant inditum, quod multos Senatores Hadriano jam saevienti eripuisset: alii quod ipsi Hadriano magnos honores post mortem detulisset. Quod postremum equidem inter pietatis genera, ut ex Serv. in VI. Aeneid. vers. 176. primum locum semper obtinuit. Unde ibidem Vergil. vers. 252., ut maximam sui Herois pietatem ostenderet, demortui Miseni exsequiis implicitum ita illum effingit:

At pius Aeneas ingenti mole sepulchrum
Imponit, suaque arma viro, remumque tubamque
Monte sub aerio: qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, aeternumque tenet per saecula nomen.

Ita pariter lib. VII. vers. 5., ubi Aeneam Cajetae suae Nutrici eadem pietatis officia persolvisse his carminibus memorat.

At prius exsequiis Aeneas rite solutis
Aggere composito tumuli postquam alta quierunt
Aequora, tendit iter velis, portumque relinquit.

Et Auson. in grat. act. pro Consulatu inter cetera *Piissimi* epitheton Gratiano Imperatori tribuit, quod patrem suum Valentinianum post ejus mortem inter Divos retulerat. *Aguntur enim gratiae, non propter majestatis ambitum, nec sine argumentis. Imperatori fortissimo: testis est uno pacatus anno & Danubii limes, & Rheni. Liberalissimo: ostentat hoc*

hoc dives exercitus. Indulgentissimo: docet servitus erroris humani. Consultissimo: probat hoc tali Principe Oriens ordinatus. PIISSIMO: *hujus vero laudis locupletissimum testimonium est pater divinis honoribus consecratus.*

Quae vero superius a Spartiano de hujusmodi cognomento Pii, quod fuit Antonino impositum, rationes afferuntur, easdem prorsus in eodem Antonino cap. II. Capitolinus recenset: addit tamen, quod vel ideo Pius est dictus, *quod quum se Hadrianus interimere vellet, ingenti custodia & diligentia fecit, ne id posset admittere: vel quod vere natura clementissimus, & nihil temporibus suis asperum fecit.* M. Aurelius etiam apud Vulcat. Gallican. in vita Avidii Cassii cap. II. id illius clementiae attribuit. Faustinae enim uxori, quum de Cassianae defectionis ultione anxiam se sollicitamque ostentaret, ita rescripsit: *Ego vero & ejus liberis parcam, & genero, & uxori, & ad Senatum scribam, ne aut proscriptio gravior sit, aut poena crudelior. Non enim quicquam est, quod Imperatorem Romanum melius commendet gentibus, quam clementia. Haec Caesarem Deum fecit, haec Augustum consecravit, haec patrem tuum in primis Pii nomine ornavit.* Quo facit illud Claudiani in IV. Consulatu Honorii:

Sis Pius inprimis, nam quum vincamur in omni
Munere, sola Deos aequat Clementia nobis.

Non unum igitur Antonini pietatis argumentum

 fuit,


ſuit, ut Pius a Senatu dici mereretur; quanvis Capitolino non ſatis probetur, quod ideo ſit ita cognominatus, quia Socerum ſenio confectum manu coram Senatu levare ſolitus fuiſſet. *quod quidem*, inquit, *non ſatis magnae pietatis eſt argumentum, quum impius ſit magis, qui iſta non faciat, quam pius, qui debitum reddat*. Mihi vero contra videtur. nam etſi naturae legibus ad hoc teneamur: nunquam tamen amor in ſuos & ſtudium inſignis pietatis titulo caruit. Quia Metellus lacrimis, & aſſiduis precibus Senatum perduxit, ut pater ab exſilio revocaretur, & ipſum *Pii* cognomen apud Romanos primum promeruiſſe veterum monumentis eſt conſignatum. Ita L. quoque Antonius, qui cum P. Servilio anno U.C. DCCXIII. conſulatum geſſit, ob eximiam in M. Antonium Triumvirum ſui fratrem pietatem exercitam fuit *Pietas* appellatus, ut a Dione lib. XLVIII. ſcribitur, atque unus, & alter argenteus denarius teſtatur apud Fulvium Urſinum in prima gentis Antoniae Tab. cum epigraphe in parte averſa: PIETAS. COS., addita Ciconia, quae, ut ex Epiphanio in Phyſiolog. cap. XXV. *patrem, & matrem admiranda pietate in ſenectute alit*: τὸ γὰρ ὄρνεον, ait ibi Epiphanius, οὗτος τὴν πατέρα, καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ εὐσεβεία θαυμασία γηροβόσκει. Hoc idem ex Aeliano lib. III. cap. XXII. hiſtor. Animal., & ex Caelio Rhodigino lib. XXIII. cap. XXXIV. lect. antiq. Unde jure & merito pro pietatis ſymbolo accipitur, & a Petronio *Pietaticultrix* eſt dicta.

Cico-

Ciconia etiam grata, peregrina, hospita
Pietaticultrix, gracilipes, crotalistria.

De ea etiam S. Ambros. in Hexaemer. lib. v. cap. XVI. haec habet: *Aves*, inquit, *non erubescunt reverendi senis membra portare. est enim vectura pietatis: quod eo usque frequenti testificatione percrebuit, ut congruae remunerationis invenerit mercedem. Nam Romanorum usu Pia avis vocatur, & quod vix uni Imperatori consulto Senatus delatum dicitur, hoc istae aves in commune meruerunt.* Aliud praeterea pietatis Antonini argumentum a Capitolino in ejus vita cap. x. proditur: nimirum *quod quum Marcus mortuum educatorem suum fleret, vocareturque ab aulicis Ministris ab ostentatione pietatis, ipse dixerit:* PERMITTITE, *inquit*, ILLI . VT . HOMO SIT . NEQVE . ENIM . VEL . PHILOSOPHIA . VEL . IMPERIVM TOLLIT . AFFECTVS. Quando vero hujusmodi cognomentum a Senatu fuerit illi impositum idem Capitolinus cap. v. innuere videtur: post mortem nempe Hadriani, ac primo imperii anno, quum Faustina ejus uxor Augusta fuit appellata. *Uxorem*, inquit, *Faustinam Augustam appellari a Senatu permisit: Pii appellationem recepit.* Cui & veteres nummi adstipulantur, in quibus cum ejus Trib. Pot. prima Augusti titulus, & Pii simul cognomen legitur. Nec antea quidem a Senatu Pius cognominatus fuisse videtur: quandoquidem nummi omnes, in quibus Caesar tantummodo inscribitur, ejusmodi cognomento

mento carent; etiamſi in aliquibus Pietatis typus per mulierem, quae ad aram ignitam ſacrificat, exprimatur, ut ex nummo, quem ſubdere placuit, ſatis apparet.



CAPUT

CAPUT . VII.

L. Verus, Pio mortuo, ſtatim, non poſt menſem Auguſtus eſt dictus. Quando M. Aurelius Antonini nomen, & M. praenomen acceperit. Lucius a M. Aurelii cognomine, non patris Verus eſt appellatus. Apologiae Athenagorae inſcriptio expenditur. Annus Victoriae a M. Aurelio de Sarmatis relatae. Capitolini locus illuſtratus. L. Verus in publicis monumentis nuſquam dictus Antoninus. Error Gruteri. Cur M. Aurelii Columna Cochlis fuerit ab Antiquariis Antonino adjudicata. Erronea Platinae, aliorumque de eadem opinio. De Columna in nummis Conſecrationis Antonini Pii ſignata communis Antiquariorum error nunc primum patefactus. Ejuſdem Columnae typus apud Auguſtinum, Angelonium, Bellorium, & alios vitiatus. Quis Columnam Coclidem M. Aurelio dicaverit, & quando. Cur haec in nummis non conſpiciatur. Nummus Hadriani ineditus publicatur, & exponitur.



ACTENUS ab Auguſto ſinguli tantum Imperatores rei Romanae clavum tenuere, quum Antonino Pio e vivis erepto, Marcus, qui ſolus jure adoptionis ei ſuccedere in Imperio debuerat, incertum, an novo benevolentiae genere, an quod corporis viribus parum ipſe vigeret, ſeu potius ut philoſophiae, cui plurimum incumbebat, poſſet liberius vacare, Lucium, quem ex Hadriani voluntate

ſibi

ſibi in filium adoptaverat, Auguſti titulo delato, in regiminis conſortium adſcivit: *tuncque primum*, ait Capitolin. in eodem Marco cap. VII., *Romanum Imperium duos Auguſtos habere coepit*. Id vero non poſt menſem a Pii obitu, ut celebris famae viro Comiti Mediobarbo placuit, ſed ſtatim poſt illius mortem contigiſſe, apertis his verbis Schotti Victor cap. XVI. docet: *Igitur Aurelius Socero apud Lorios anno vitae poſt quintum, & ſeptuageſimum mortuo, confeſtim Lucium Verum in ſocietatem potentiae accepit*. Idemque prorſus ex Dione in Marco a Xiphilino aſſeritur: *Statim*, inquit, *ſocium*, *& participem Imperii coepit Lucium Verum Lucii Commodi filium*. Sed Puteolana Inſcriptio hiſce a me typis data omnem penitus de hoc dubitationem tollere videtur; quum die vigeſima Martii, quae a Pii exceſſu tertia decima fuerat, cum Marco & Lucium Auguſti titulo jam decoratum exhibet. Quod inſuper, quando inſignia haec teſtimonia praeſto nobis non eſſent, probari quodammodo etiam poſſet ejuſdem Lucii nummis, qui cum Caeſaris titulo facile extarent, niſi eodem tempore, quo Marcus fuit Auguſtus renunciatus, & ipſe ut ex Capitolino ibidem cap. VII. Caeſar ſimul, & Auguſtus a Marco dictus fuiſſet. *Poſt exceſſum Divi Pii a Senatu coactus regimen publicum capere, fratrem ſibi participem in imperio deſignavit: quem L. Aurelium Verum Commodum appellavit, Caeſaremque atque Auguſtum dixit*,

dixit, atque ex eo pariter coeperunt rempublicam regere. Quia vero cum Imperio & ſuum cum eo nomen Marcus communicaverat, ſibique Antonini, ſui per adoptionem patris nomen impoſuerat, hinc eſt, quod Marcus, qui ex majorum ſuorum nomine Verus antea vocabatur, in hujus Columnae ſtylobate Antoninus inſcribitur: alter, quem Commodum dicebant, ut infra mox repetam, Verus eſt appellatus. quibus etiam nominibus apud Urſinum in denario legionis VI. ab ipſis reſtitutae, & in l. XVII. ff. de ſervit. ruſtic. praed. uterque cognominatur. Sane fallitur Jacobus Biaeus ad Numiſmatum aureorum Ducis Arſchotani Tab. XXIX. n. I. exiſtimans, quod Marcus tunc quum fuerat a Pio adoptatus Antonini cognomen acceperit. nam qui illum niſi poſt Pii mortem ita cognominatum conſpexerit, futurum neminem puto. Recte propterea apud Capitolin. de eodem cap. VII. legitur, quod Marcus Imperium adeptus, *Antonini mox ipſe nomen recepit.* Antea quidem poſt Catilii, ſeu C. Atilii Severi nomen, quod ex avo materno ei primum inditum fuerat, ac poſt aliud Annii Veri nomen, quod poſt Annii Veri patris mortem ab Annio Vero avo adoptatus acceperat, vel ſolo Aureliae gentis nomine, in quod fuerat ab Antonino aſſumptus, ut ex Capitol., & ex nummis abunde conſtat, deſignabatur. Vel Aurelii nomine, alio etiam quandoque Aeliae familiae in Hadriani honorem praepoſito, Aelius Aurelius, Veri nomine reten-

retento, dicebatur. quod ex vetustis inscriptionibus liquet, ex ea praesertim, quae apud Gruter. pag. ccc. est mihi superius laudata. Ex qua alter Biaei ex Occone fortasse mutuatus error evincitur. Quia enim in Latinis ipsius Aurelii nummis, vivo adhuc Antonino Pio cusis, Marci praenomen non cernitur, uterque proinde censuit, quod, Pio defuncto, tunc primum hujusmodi praenomen assumpserit. Praeter eandem vero Gruteri inscriptionem, atque itidem alias ejusdem ad pag. cclvii. 10. 12., pag. cclviii. 1. 8., & pag. cclix. 2. 6., hac etiam proximis annis Puteoli pariter reperta, erronea eorundem doctissimorum hominum opinio arguitur.

Pro . Salvte
Imp. Caesaris . Titi . Aeli
Hadriani . Antonini . Avg. Pii
P P. Et
M. Aeli . Avreli . Caesaris . N.
Genio . Coloniae . Pvteolanorvm
Chrysantvs . Avg. Disp. A. Frvmento
Pvteolis . et Ostis
L. D. Decvrionvm . Permissv

Cui & aliam libeat nunc addere, quae supposita est pulcro, atque insigni admodum anaglypho, quod nobilissimus, miraeque indolis adolescens Alexander Albanus hisce diebus sui juris fecit, illudque post Fabrettum Paullus Alexander Maphaeus S. Stephani Eques in praeclaro insigniorum Statuarum opere,

opere, quod elegantiſſimis tabulis Dominicus de Rubeis modo evulgandum parat, ſingulari ſua eruditione dignis obſervationibus illuſtravit. Inſcriptio autem haec eſt:

Epitynchanvs . M. Avreli . Caes. Lib. et . a . Cv bicvlo . Fontibvs
Et . Nymphis . Sanctissimis . iii.vivm . ex . Voto Restitvit

Ex his uberrime pateat, M. Aurelio non ſolum poſt Pii deceſſum, ſed vel antea dum Caeſarem agebat, Marci praenomen fuiſſe; licet tam in Latinis nummis in ejus honorem ſub Pio obſignatis, quam in aliquibus poſt illius obitum percuſſis, ac praeſertim in hoc Pii marmore, in quo ſe tantum Antoninum denominat, fuerit praetermiſſum.

Nec minori fortaſſe obſervatione digna videtur ob eoſdem in alienas familias tranſitus in Lucio etiam nominum tam crebra mutatio. Etenim quum primum avito ſuorum nomine Cejonius Commodus vocaretur, in Hadriani, & Antonini familias ob Marci, ſuique adoptiones acceptus, Cejonii gentili ſui nomine amiſſo, L. Aelius Aurelius Commodus eſt dictus: ab eodem Marco ſocius poſtea in Imperio factus, Veri nomine, non quod patris, ut Caſaubono viſum eſt, ſed quod Marci fuerat, accepto, Commodi patrium ſui nomen perdidit: ac Marci frater majeſtatis ordine effectus, quum Antonini jure adoptionis nepos eſſe debuiſſet, & ipſe illius filius evaſit.

Verum celebris Apologia, seu Legatio pro Christianis ab Athenagora habita legitur, quam inscribit: *Imperatoribus M. Aurelio Antonino, & L. Aurelio Commodo Armeniacis, Sarmaticis, &, quod maximum est, philosophis*. Ubi Veri nomine praetermisso, adhuc Lucius post Pii mortem Commodus appellatur. Verum ejusmodi inscriptio, quae viris quum ecclesiastica, tum profana eruditione insignibus non levem quaestionem movit, quod non ab Athenagora, sed sequiori aetate fuerit aliena manu adjecta, non est, qui jure aliquo non dubitet. his siquidem privatis nominibus ab inferioris aevi scriptoribus adoptivus iste Marci frater, imperiique sodalis Lucius saepissime designabatur. De quo S. Hieron. in Scriptorum Ecclesiastic. catalogo, ac praecipue in Polycarpo, Justino, Dionysio, Pynto Cretensi, Tatiano, Philippo, & Modesto non unum exemplum suppeditat. Ubi & M. Antonino Veri nomen, quod Lucio dederat, adstruit: sicuti jam factum fuisse videmus apud Gruter. pag. CCLVIII. 6. in Tarraconensi quadam inscriptione, quae judicio eruditorum ob insolentem phrasim a saeculo Antoninorum alienam pro suspecta omnino habetur. incipit enim: Devictori . omnivm . gentivm . barbararvm. Ipse vero ut merito de ea dubitem, & idem Veri cognomen facit cum Augusti titulo Marco adscriptum. Quod praeterea eandem Apologiae inscriptio ab Athenagora non fuerit apposita, suspicionem augere plu-

plurimum poterunt tituli his duobus Augustis additi: qui in examen vocati mire inter se pugnant. Quanvis enim Lucio Armeniaci titulus, quem sibi victricibus armis comparatum cum Marco communem habuit, recte conveniat: nunquam tamen nec Lucio, nec Marco, Lucio superstite, Sarmatici nomen poterat adaptari. certum est enim, quod exeunte anno U.C. DCCCCXXII., aerae communis CLXIX. Prisco, & Apollinare Coss., vel altero ineunte, quum L. Verus apoplexia correptus supremum diem clausit, ipse Tribunitiam Potestatem IX., & Marcus XIII. nondum compleverant. Quum vero Marcus de Sarmatis triumphavit, ejus Trib. Pot. XXX. decurrebat, quae incidit in annum U. C. DCCCCXXIX., epochae Christianae CLXXVI., uti Lampridius est auctor in Commodo cap. II., ubi haec habet: *Post haec venia legis annariae impetrata, Cos. est factus: & cum patre Imperator est appellatus v. Cal. Decemb. die, Pollione, & Apro Coss.: & triumphavit cum patre: nam & hoc patres decreverant.* Qui Consulatus eodem anno Christiano CLXXVI. in fastis notatur. Quam propterea fidem mereantur nummi, qui extant apud Occonem pag. CCXCI., & apud Mediobarbum pag. CCXXV., in quibus pro XXX. Trib. Pot. XXIX. legitur; nempe: *M. Antoninus Aug. Germ. Sarm. Tr.P.XXIX. Imp.VIII. Cos.III.*, eruditi viderint. Ac non minorem profecto suspicionem injicit Papiensis inscriptio, quam ex schedis Pyrrhi Ligorii

nuper laudavit in sua Historia Gymnasii Ticinensis cap.II. vir egregius atque eruditus Antonius Gattus :

Imp. Caes. Divi . T. Ael. Hadriani
Antonini . Avg. Pii . Filio . Divi
Aeli . Hadriani . Avg. Nepoti . Divi
Traiani . Germanici . Dacici
Parthici . Pronepoti
Divi . Nervae . Avg. Abnepoti . M.
Avrelio . Antonino . Germanico
Sarmatico . Parthico
Pontif. Maximo . Trib. Pot. xxvii.
Imp. vi. Cos. iii. P. P. Optimo . Princ.
Colon.
Papiensi . Aeliani
Avreliani
D. N. M.

Hic etenim, ut patet, M. Aurelii non Trib. Pot. xxvii. tantum cum Sarmatici titulo perperam componitur : sed idem Marcus Imp. vi. dicitur, quando Sarmatica haec victoria, quae ultima ei contigit, in nummis, & lapidibus viii. inscribitur. Ejusdem apud me ponderis est nummus item Papiensis, quem idem auctor ex Tristano ibi recitat cum epigraphe in anteriori parte : *M. Aurelius Antoninus Aug. P. M. Imp. II. Trib. P. XIIII. Cos. II.* In altera vero : *Col. Papiae* : ubi caput Serapidis cum modio pro more visitur. Nota est doctissimorum hominum Harduini, & Vaillantii de hoc nummo disceptatio.

ptatio: quos, dum de Colonia in eo expressa digladiantur, miror equidem, patens nummi vitium non observasse. Quomodo enim Marco Augusti titulus, ac Trib. simul Pot. XIV. dari potest, quam V. Cal. Martias anni CLXI. Antonino Pio etiamnum superstite explevit? Sed haec obiter.

Quum igitur anno VII. a Veri morte Marcus de Sarmatis triumpharit, Athenagora illos Sarmaticos appellare haud poterat. Quare potius ejusdem Apologiae inscriptionis auctorem de Commodo Marci filio intellexisse crederem; nisi Armeniaci, & Philosophi epitheta, quibus uterque cohonestatur, apposita fuissent. Commodus enim nunquam Armeniacus, nunquam Philosophus, utpote qui, ut Lamprid. de eo inquit cap. I., *a prima statim pueritia turpis, improbus, crudelis, libidinosus, ore quoque pollutus, & constupratus fuit.* Lucius autem & Armeniacus, ut visum est, & Philosophus dici quodammodo potuisse videtur. Quanvis enim luxui deliciisque deditum historici illum prodant: de illius tamen in literis institutione ita Capitolin. cap. II. *Audivit Scaurum grammaticum Latinum Scauri filium, qui grammaticus Hadriani fuit: Graecos, Telephum, Hephæstionem: Harpocrationem: rhetores, Apollonium, Celerem Caninium, Herodem Atticum: Latinum, Cornelium Frontonem: philosophos, Apollonium, & Sextum:* & paullo infra: *multos disertos, & eruditos semper secum habuisse dici-*

dicitur . Quare & in priori Juſtini Martyris Apologia , quae vulgo ſecunda appellatur , aeque Marcus , ac Lucius eodem Philoſophi titulo ſalutantur . Ubi quando de variis horum Auguſtorum cognominibus nobis incidit ſermo , illud etiam Veriſſimi cognomen , quo Marcum Juſtinus ibidem appellat , adnotatione aliqua non indignum eſſe videtur . *Poſt exceſſum vero patris* , ait Capitolin. in Marco cap. I. , *ab Hadriano Annius Veriſſimus vocatus eſt : poſt virilem autem togam Annius Verus , patre mortuo , ab avo paterno adoptatus eſt , & educatus* . Quae vero ita illum cognominandi Hadriano ratio fuerit , a Xiphilino in eodem Hadriano exponitur . *Verumtamen* , inquit , *majore honore affecit , quum propter jus ſanguinis , tum quod eum jam florentem aetate , & ingenio cognoſceret , quem etiam ob eam cauſſam facete Veriſſimum nominabat* : vel ut ex Dione Caſaubonus explicat in eodem Capitolin. loco citato : πρὸς τὴν τοῦ Ῥωμαϊκοῦ ῥήματος ἔννοιαν , id eſt , *quod eſſet veritatis amantiſſimus , tenaciſſimus* . Cognomentum hujuſmodi , ſcribit idem Capitolinus , quod uſque ad virilem togam retinuerit : poſtea vero Annius Verus coepit denuo vocari . Quum autem virilem togam , eodem Capitolino teſte cap. IV. , decimo quinto aetatis anno Marcus aſſumpſerit , non erit amplius cum Caſaubono dubitandum , quod verba illa *Annius Verus* , quae in regio & Politiani exemplari , ut ipſe inquit , ſunt omiſſa , in Capitolinum

aliunde

aliunde irrepſerint: ita ut de tempore, quo ab avo paterno adoptatus fuerat, ibi tantum intelligi debeat. Primo nanque imperii Antonini Pii anno, quum nondum Marcus Caeſar eſſet, ſuam Juſtinus Apologiam ſcripſit: quo tempore idem Marcus ſeptimum decimum aetatis annum agebat. Immo poſt Caeſareae etiam dignitatis adeptionem Veriſſimus adhuc appellatus occurrit in Tyranorum nummo, quem inter Graecarum Urbium numiſmata ex muſeo Gallandii Vaillantius recitat pag. 58. In priori autem elegantiſſimi hujus nummi parte juvenile nudumque M. Aurelii caput viſitur cum elogio: BHPICCIMOC . KAICAP . *Veriſſimus Caeſar*. In altera ſtat Pallas, quae dextra pateram gerit, ſiniſtra clypeo innititur, legiturque: TYPANΩN. *Tyranorum* nempe in Maeſia inferiori, apud quos nummus eſt cuſus.

Tot igitur, ut dicebamus, poſt Antonini Pii interitum nominibus rejectis, Marcus Antoninum, & Lucius Verum ſeſe tantum cognominarunt. Quod idem vero Antonini nomen Lucio quoque Marcus impoſuerit, auctor eſt Capitolin. in Pio cap. VI., & in Marco cap. VII., ubi tradit, quod Marcus *quaſi pater L. Commodi eſſet, & Verum eum appellavit, addito Antonini nomine*. Et in Vero cap. I. *L. Cejonius Aelius Commodus Verus Antoninus, qui ex Hadriani voluntate Aelius appellatus eſt; ex Antonini conjunctione Verus, & Antoninus.*

Idem

Idem in Macrino cap. iii., & Lamprid. in Diadumen. cap. vi. Antoninorum numerum recenſentes, tertium L. Vero locum adſignant. Hoc idem a Sex. Rufo, & Eutropio traditur. Quod tamen & ipſe Lucius fuerit Antoninus dictus praeter eorum teſtimonia nec nummi, nec alia id genus publica antiquitatis monumenta nos hactenus docuere. Immo ex hac Antoninianae Columnae inſcriptione, quae novis recenſque tunc ab utroque aſſumptis nominibus fuit inſignita, contrarium prorſus elicitur. Quam recte proinde Reineſius inſcriptionem ſecundam Claſſis xvi. de more emendaverit, pro *L. Anivinus* legens ibi *L. Antoninus*, facile quiſque intelliget.

An praeterea cum Antonini appellatione Pii ſimul cognomentum Marcus acceperit, a nemine, quod ſciam, proditum eſt. Legitur nihilominus apud Gruter. pag. cclix. 7.

Imp. Caes.
M. Aelio . Antonino
Pio . Avg. Pont. Max
Trib. Pot. xvi. P. P
Cvivs . Nvtv . et . Avspi
ciis . Provincia . Dacia
Gvbernatvr
M. Svrrianvs . Pr. Pr
Nvmini . Eivs

Praeter quam & aliae extant pag. cclviii. 7. 9. & 10., pag. cclix. 1., & pag. cclx. 1., in quibus idem Pii

Pii cognomen M. Antonino additur: ſed illas perperam M. Antonino adoptivo Antonini Pii filio Gruterus attribuit; quum ad M. Antoninum Caracallam ſpectent omnino, ut ex Felicis, & Britannici cognominibus a Commodo Marci filio primum aſſumptis facile quiſque noſſe poterit. quod etiam doctiſſimus Spanhemius diſſert. VIII. de uſu, & praeſt. Numiſm. pag. 725. advertiſſe comperimus. Quanvis itaque ex ipſius Marci nummis deduci non poſſit, quando primum ei Senatus hoc Pii cognomen detulerit: ex laudata tamen ejuſdem Gruteri inſcriptione liquido conſtat, quod ſecundo imperii ſui anno jam Pius denominabatur. In nummis ſiquidem nonniſi poſt ſui conſecrationem Pius eſt appellatus. ibi enim: *Divus M. Antoninus Pius*: ex quo deinde Antiquariorum profectus eſt error, ut quae unius Antonini Pii fuerant, alteri quandoque dederint: ut prae ceteris Columna cochlis, quae adhuc in Campo Martio prope viam Flaminiam aſſurgit exemplo ſit. Eam etenim Antonino Pio a Marco dicatam fuiſſe conſtans hucuſque fere omnium opinio invaluit, iis tamen exceptis, quibus aſſerere placuit, quod illam ſibi erigendam Pius ipſe curaverit. Inter quos praecipue mihi ſunt recenſendi Fulvius lib. IV. cap. XXVIII. Romanar. Antiquit., & Platina in vita Teleſphori: ubi de Antonino Pio verba faciens, *ejus quoque*, inquit, *impenſa erectam eſſe Columnam illam cochleam putarim, a qua Urbis cele-*

celeberrima Regio nomen accepit. Hi ſiquidem, quae ipſa Columna referat, nec oculis adſequuti fuiſſe videntur. Minori vero excuſatione dignos cenſeo, qui quum res bello quum Germanico, tum Sarmatico a M. Antonino geſtas ibi anaglyphice deſcriptas conſpexerint, atque aeri inciſas vulgaverint: adhuc tamen cum iis ſentire malunt, qui ab eodem Marco in ipſius Antonini Pii memoriam poſitam fuiſſe affirmarunt. Quippe tam gravi moderatoque Principe, Marco nimirum, rem prorſus indignam proferunt. Ut qui ſcilicet ad rectam rationabilemque vivendi normam philoſophica diſciplina inſtitutus tot ſuae moderationis argumenta praebuerat, mox vecordi ambitione elatus ſuorum ipſe illuſtrium facinorum ſymbolis alterius famam commendare voluerit. Talis quidem, quum clariſſimorum hominum memoriam honoribus proſequi vellent, mos veteribus nullatenus extitit. Aeneas apud Vergil. lib. VI. Aeneid. Miſeni ſepulcrum condens, non ſuos per mare Tyrrhenum, per Thraciam, perque inhoſpita Africae littora errores: non Deos patrios, filium, uxorem, ac patrem incendio ereptos lapidi inſculpſit: ſed arma, & remum, tubamque defuncti nautici tubicinis, Phrygiique militis inſignia tumulo impoſuit.

At pius Aeneas ingenti mole ſepulcrum
Imponit, ſuaque arma viro, remumque tubamque
Monte ſub aerio: qui nunc Miſenus ab illo

Dici-

Dicitur, aeternumque tenet per ſaecula nomen.
Unde Statius lib. III. Sylvar.

Enthea fatidicae ſeu viſere tecta Sybillæ
Dulce ſit, Iliacoque jugum memorabile remo.

At vero quod ipſa hominum ratio cuique ſemper dictavit, exemplis, quae innumera omnium temporum, omniumque locorum, & gentium monumenta ſuppeditant, longius probari non exigit.

Neque vero quis defuit, ut videre licet apud Dominicum Fontanam de Obeliſco Vaticano, qui ſcripſit, quod quum M. Aurelius Columnam hanc cochlidem in patris memoriam erigere vellet, nullumque ab eo praeclarum facinus patratum animadverteret, utpote qui ſemper bello abſtinuit, ſuis propterea rebus in Germania geſtis illam exornandam curavit. Nihil ſane poteſt iniquis magis auribus recipi. Princeps ergo, qui per tres ac viginti prope annos Romanum totiuſque orbis Imperium eſt moderatus: qui moribus, & juſtitia ſuis omnibus deceſſoribus praeferri meruit; quia tamen pace vixit, nihil moriens de ſe reliquum fecerit, quod ſcalpro dignum videretur? Non equidem is pacis amor tantumque armorum ſilentium Antonini Pii ſocordiae, qua omnino caruit; ſed ejus potius animi moderationi, atque auctoritati, quam ſibi maximam apud gentes vel barbaras prudentia juſtitiaque comparaverat, tribui debet. Hic propterea Capitolini verba in illius vita cap.IX.libeat mihi referre. *Tantum*

 ſane

sane auctoritatis, inquit, *apud exteras gentes nemo habuit, quum semper amaverit pacem eo usque, ut Scipionis sententiam frequentavit, qua ille dicebat:* MALLE . SE . VNVM . CIVEM . SERVARE . QVAM MILLE . HOSTES . OCCIDERE.

Caeterum semper ego rem magis gloriosam agere illum putaverim, qui sola auctoritate, quam qui armis populos compescere didicit. Atque non adeo quidem Antoninus pacem coluit, ut si quando opus fuit, tumultuantes populos, etsi per suos Legatos, non represserit. Nam teste Pausan. in Arcadic. cap. XLIII., licet Antoninus nulli ultro bellum intulit: attamen lacessitus hostes fortiter armis domuit. De quo sane ejus nummi plurimos victoriae typos, de Britannis nempe, praferentes pleniorem fidem faciunt. Quod quum ita sit, qui deinceps existimare velit, quod Senatus, ut Antonini Pii memoriam digne celebraret, aliquid utique eo superstite bello gestum in nummis incidendum habuerit: post ejus vero mortem, quod lapidi consignaretur, nihil penitus M. Aurelius, vel Senatus ipse adinvenerit, futurum neminem arbitror.

Ii tamen, qui Pio Columnam hanc donarunt, ut sua aliquid auctoritatis apud imperitos opinio haberet, nummum post Pii consecrationem cum Columnae typo percussum testem advocarunt. Atque adeo sententia arrisit omnibus, ut quotquot hucusque de eadem Columna scripserunt, vel nummum eun-


dem

dem explicarunt, tot ſectatores ſit conſequuta, uno tantum Adolpho Occone excepto, qui nummum ipſum declarans, ut communem Antiquariorum foveam falleret, Columnam, quam nummus exhibet, non cochlidem, ſed vago incertoque verbo uſus, *Columnam quandam* appellare maluit. Et quidem quum eadem Columna cochlis nullam cum alia in nummo expreſſa conformitatem habeat, nulla quoque ratio adeſſe videbatur, ut etiamſi ad Antoninum Pium ſpectaſſet, eadem proinde in nummo inciſa pro ipſius Columnae cochlidis typo ſumenda foret. Haec ſiquidem anaglyphis undequaque inſculpta cernitur: nummus vero nudam, nulloque ornatu obductam indicat. Quod ſane nonnulli animadvertentes, id inciſorum incuriae dederunt: ac ſicuti M. Aurelii, aevo adeo rudes artifices fuiſſent, ut anaglyphicam Columnam, uti antea de altera Trajani factum fuerat aeri ſcalpere ignoraverint, illorum propterea defectui ſe quodammodo ſupplere arbitrantes pro nuda ſolidaque anaglyphicam typis conſignarunt: uti patet apud Antonium Auguſtinum, Franciſcum Angelonium, Petrum Bellorium in nummorum tabula ad calcem Columnae Antoninianae adjecta: quae ab eo erudite expoſita, atque a Sancte Bartholo eleganter fuit inciſa: atque item apud Donatum lib. III. cap. XVI. alioſque, ſi qui ſunt, quos omnes adire non fuit ocium.

Quia vero talem in nummo, qui in gaza olim

Re-

Reginae Christinae, nunc Principis Odeschalchi adservatur, cochlidem nempe repraesentari nonnemo eorum profitetur: ut magis veritas constet, nos ex ejusdem Principis thesauro denuo accurate religioseque, ut extat, nummum incidendum curavimus.



Columnam igitur in nummo habemus, in qua ne ullum quidem anaglyphorum indicium apparet: atque huic simillimos nummos esse quot quot cum eadem Columna in Cimeliis universis adservantur, affirmare non dubito: nisi quod alius Doricum, alius Corinthium Columnae capitulum: alius vero & cippum quendam, ut vidimus, super quo statua sistitur, habebit, uti eruditi nummorum collectores observare facile poterunt. Quilibet tamen in ima Columnae parte reticulatum clathrum habebit, quod, quum consecrationis anaglypha, quae ibidem elegantissima conspiciuntur, humiliora pateant, ut eadem ab invida manu immunia servarentur,

tur, inserviebat. Cujus cochlis M. Antonini Columna, utpote praealto stylobate paucisque anaglyphis insculpto gaudens, minime egisse videtur. Refert Bernardus Gammucius, qui vulgari idiomate de Antiquitatibus Romae scripsit, quod antea quam eadem Columna ignem passa Sixti V. Pont. Max. jussu restitueretur, ibi ex una parte CONSECRATIO legebatur: in alia vero, consecrati Imperatoris, hoc est M. Aurelii, ut ipse loquitur, imago apparebat: mox subdens, in alio latere inscriptionem alteram extasse, in cujus tamen lectione, nescius haeret, an DIVI . ANTONINI . AVGVSTI . PII, vel DIVO . ANTONINO . PIO legi debuisset. Quare arguere possimus, quod quum literae adeo detritae fuerint, ut Marci praenomen per singularem literam M. de more expressum non appareret, Pii cognomine inspecto, locus tunc dubitandi nullus Antiquariis sit visus, ut Antonino Pio eandem Columnam accenserent, P. Victoris praesertim auctoritate freti, qui non Marco, sed Antonino illam attribuere videbatur. ita enim in Reg. IX. Circi Flaminii: *Templum Divi Antonini cum cochlide Columna, quae est alta pedes CLXXXV. habet intus gradus CCVI. & fenestrellas LVI.* Sed quod Victor de M. Aurelio, non de Antonino Pio ibi intelligat, qui Antoninum Pium post eundem Marcum aliosque Antoninos plerunque cognomine Pii, Marcum vero Antonini tantum cognomine, addito quandoque

Marci

Marci praenomine, indigitari non ignoraverit, non equidem haeſitabit.

Enimvero adeo eorundem Auguſtorum nomina apud ſcriptores confuſa occurrunt, ut a Pauſania in Arcad. cap. XLIII. ad omnem confuſionem vitandam Pius Ἀντωνῖνος ὁ πρότερος *Antoninus primus*, & M. Aurelius Ἀντονῖνος δεύτερος *Antoninus ſecundus* appellatur. Pauſaniam ſequi videntur S. Hieronym. in Catalogo de Apollinari Hieropolitano Epiſcopo: qui pariter M. Aurelium *Antoninum ſecundum* dicit: & Clem. Alex. Stromat. lib. VII. pag. 764. edition. Friderici Sylburgii: ubi & ipſe Pium *Antoninum ſeniorem* appellat. κάτω δὲ, περὶ τοὺς Ἀδριανοῦ τοῦ βασιλέως χρόνους, οἱ τὰς αἱρέσεις ἐπινοήσαντες γεγόνασι, καὶ μέχρι γε τοῦ Ἀντωνίνου τοῦ πρεσβυτέρου διέτειναν ἡλικίας. *Inferius autem circa tempora Hadriani Imperatoris fuerunt, qui haereſes excogitarunt, & pervenerunt uſque ad aetatem Antonini ſenioris.*


Ex his igitur Columnam hanc cochlidem nullo pacto ad Antoninum Pium ſpectare, ſed M. Aurelio poſt ejus obitum erectam fuiſſe dicimus: licet quum ſolida haec Columna, de qua nobis eſt ſermo, Antonino Pio poſita conſpiciatur, quod proinde altera etiam ad illum pertinere neceſſario debeat, pro certo indubitatoque vir ſane non ineruditus affirmet: ea ſcilicet ratione ſuaſus, quod & Trajano, ut inquit, duplex Columna dicata fuit, cochlis nempe una, al-

altera vero ſolida, in cujus faſtigio noctua impoſita erat. Sed nummus apud Seguinum pag. 147. edition.II., qui ejusmodi columnam exhibet,non minus quidem eſt falſus, quam viri ejuſdem, cujus nomini ob reverentiam ignoſco,inanis & levis conjectura eſt.

Quod autem non a Commodo ejuſdem Marci filio ea fuerit excitata, Lampridius in ejus vita cap. XVII. ſatis oſtendit. Siquidem inter ejus opera nullam prorſus hujus Columnae mentionem facit. *Opera ejus*, inquit, *praeter lavacrum, quod Cleander nomine ipſius fecerat, nulla extant*. Verum ex Senatus conſulto inter alios divinos honores Marco poſt ejus obitum decretos erectam fuiſſe Victor Schotti in illius vita cap. XVI. aperte declarat. ait enim: *Denique ſejuncti in aliis Patres, ac vulgus, ſoli omnia decrevere,templa,* COLVMNAS, *Sacerdotes.* Et Victor alter in Epitome: *ob cujus honorem templa,* COLVMNAE, *multaque alia decreta ſunt*.

Verumtamen nonnulli adhuc inſurgunt pro certo habentes, quod ſi ad M. Aurelium eadem Columna cochlis attineret, in nummis, uti Trajani Columna, obſignata fuiſſet. Verum non omnia in nummis habemus. Quid enim tum Auguſti, tum Hadriani Mauſoleo, Severi Septizonio, & Agrippae Pantheo elegantius ac magnificentius? quae tamen omnia nummis hactenus carent: quique cum eodem Pantheo apud Choulium nummus extat, adulterinis uno eruditorum judicio adnumeratur.

Quod non itaq; aeri incisa conspiciatur, vel ex eo dicimus evenisse, quod Senatus postquam illam Marco decreverat, opus adeo in longum, uti expostulasse videtur, sit protractum, ut sub Commodo illius filio mutata cum moribus temporum facies non amplius siverit, ut eidem Marco cum novo hoc ejus Consecrationis symbolo nummi denuo cuderentur: vel potius, quod si percussi fuerint, quum nondum illos terra prodiderit, quandoque forsan sint emersuri, uti de nummis aliis non antea visis quotidie evenire comperimus. Qui nummi quaeso frequentiores, quam Hadriani? cujus tamen aereum apud me ac minimae formae numisma extat non pridem quam nudius tertius e terrae visceribus erutum, cui simile nondum aliud sese obtulit. In priori autem illius parte, ut in ectypo infra posito patet, radiatum Hadriani caput habetur cum hac epigraphe: HADRIANVS. AVGVSTVS. In altera vero supra excelsi montis vertice nuda quaedam icuncula cernitur, quae sinistra hastam, dextra globum gerit, & inscribitur in margine: Cos. III.



Cum eodem montis typo alter a Vaillantio tom. II. Numism. Roman. Imperatorum pag. 159. argenteus

teus ejuſdem Imperatoris nummus laudatur cum hiſce in parte averſa Graecis literis: ΔΗΜ. ΕΞ. ΥΠΑΤ. Γ., *Trib. Pot. Coſ. III.*: ſicuti etiam aliorum quorundam Imperatorum, earumque Auguſtarum mulierum alii id genus quamplurimi a viro celebri inter Graeca numiſmata referuntur: qui vero omnes a Caeſarea Cappadociae Metropoli percuſſi Argaeum montem, juxta quem urbs poſita eſt, deſignant. Quo & alter L. Veri nummus ſpectat, ubi mons idem viſitur cum literis circa ambitum: ΗΠΑΤ. Γ. *Coſ. III.*: quem tamen qua conjectura ad Veſuvium Campaniae montem Triſtanus referat, neſcio.

Noſter vero, qui & Latinus, atque ut ex ejus caelatura periti norunt, Romae obſignatus, quod non Argaeum Caeſareae civitatis ſymbolum, ſed peculiare potius aliquod Hadriani facinus alibi ab eo patratum denotet, ipſe credam. Refert Spartianus in Hadriani vita cap. XIII., illum in Siciliam navigaſſe, ibique Aetnam montem conſcendiſſe, *ut Solis ortum*, inquit ipſe, *videret arcus ſpecie, ut dicitur, varium*: adeo ut ea forſan occaſione nummum hujuſmodi fuiſſe percuſſum, facile quis poſſet exiſtimare. Quia vero Hadrianus undecimo ſui regiminis anno, ut ex Aegypti urbium nummis ejus illuc adventum declarantibus, atque epocha L. IA. *anno XI.* ſignatis conjicimus, Caſii, vel Caſſii pariter montis ſummitatem eadem curioſitate motus

 adivit:

adivit: de quo idem Spartianus loco citato cap. xiv. *Sed in monte Cassio quum videndi Solis ortus gratia nocte ascendisset, imbre orto fulmen decidens hostiam, & victimarium afflavit*: quem propterea horum montium nummus iste indicare potius velit, haud mihi facile est decernere. Ex ipsa tamen montis forma in eo expressa quod Aetna ita designari potuerit, non video. Huic siquidem densa fumi volumina evomens fastigium effingitur. Unde de eodem Cornel. Severus vers. 70.

Gurgite Trinacrio morientem Juppiter Aetna
Obruit Enceladum, vasti qui pondere montis
Aestuat, & patulis exspirat faucibus ignes.

Cujus indicium hic ne minimum quidem. Immo in ejus cacumine Juppiter, vel Imperator ipse, qui sibi gradum illuc fecerat, apparet. Quare potius alteri, Casio nempe, illum adjudicandum esse reor. Quoniam vero hujus nominis mons duplex occurrit, quorum utrunque Hadrianus invisit: aliud propterea majus mihi negocium facessit. Prior scilicet, cujus summitatis periculum, ut vidimus, Hadrianus fecit, Syriacus dicitur prope Antiochiam, & Laodiceam ad Orontem fluvium assurgens, de quo Plin. lib. v. cap. xxii.: *Super eam*, hoc est Antiochiam, *mons eodem, quo alius nomine Casius. Cujus excelsa altitudo quarta vigilia Orientem per tenebras Solem adspicit: brevi circumactu corporis diem noctemque pariter ostendens. Ambitus ad cacumen XIX. M.*

pass.

passʃ. eʃt, altitudo per directum IV. At in ora amnis Orontes, natus inter Libanum, & Antilibanum juxta Heliopolim. Alter vero Aegyptiacus juxta Peluʃium urbem ʃitus, qui a Strabone lib. 1. pag. 506. ita deʃcribitur: *Caʃius eʃt mons aggeribus arenarum ʃimilis, inque mare procurrens ipʃe aquarum inops. In eo magni Pompeii corpus jacet, & Jovis Caʃʃii eʃt templum, nec procul inde Magnus jugulatus fuit Aegyptiorum dolo circumventus. Inde via eʃt, quae Peluʃium defert.* Quo etiam Pompeii ʃepulcrum inviʃendi gratia Hadrianum acceʃʃiʃʃe idem Spartianus teʃtatur loco pluries citato. *Peragrata*, inquit, *Arabia Peluʃium venit, & Pompeii tumulum magnificentius exʃtruxit.* Quod etiam Dio tradit lib. LXIX. de eodem Hadriano. *Quumque*, ait, *poʃtea per Judaeam in Aegyptum veniʃʃet, parentavit Pompeio, de quo hunc verʃum fertur dixiʃʃe:*

Quam caret hic tumulo, cui tot modo Templa fuere:

ʃepulcrumque ejus paene collapʃum reʃtituit.

Quapropter unum ex his clariʃʃimis montibus quod numiʃma noʃtrum referat, haud dubito: ʃed quem illorum portendat, eruditorum judicio ʃtatuendum relinquimus. Nos etenim jam longius quam ipʃa ʃuʃcepti argumenti ratio expoʃtulat, immorati in hoc ʃumus. Ac propterea quum de iis, quae ad praecipuum noʃtrae Columnae locum, ipʃius dedicationis tempus, ejuʃque inʃcriptionis illuʃtrationem

facere

facere ſunt mihi viſa, non abſque forſan lectoris taedio huc uſque ſermo ſit habitus: ad ea proinde, quae in reliquis ſtylobatis hujus partibus inſculpta apparent, pro viribus explicanda progredior.

CAPUT

CAPUT. VIII.

Cur nudatum consecratorum caput. Sceptrum aquiligerum imperium, non divinitatem significat. Aquila consecrationis etiam mulierum symbolum. Mundi Genius Antoninum ad caelum evehit. Anima mundi per serpentem expressa. Faustina senior quando consecrata, & quot annis vixerit. Seguinus notatus. Honores eidem Faustinae a Senatu decreti. Rarissimus ejus nummus. Vaillantii opinio de thensis desuper clausis expenditur. Circa eundem Faustinae nummum Biaei, & Mediobarbi allucinatio. Cur tanta ipsius Faustinae nummorum frequentia, in quibus Diva *dicitur. Caput velatum in mortuis feminis consecrationis, in viris pontificatus indicium. Unde ritus capita sacerdotum velandi.*



PIus igitur, qui una cum Faustina uxore alato insidens juveni principem nostri lapidis locum obtinet, hoc primum suae consecrationis indicio affectus esse videtur, quod nudum caput praeseferat. Postquam enim corona radiata, qua primi consecrati Caesares exornari solebant, nonnulli eorum, quorum prior in nummis Nero occurrit, vivi adhuc uti coeperunt, Imperatores deinde reliqui, iis tamen exceptis, quos sequior aetas nunc radiato, nunc velato capite consecratos protulit, ita post eorum con-

consecrationem omni prorsus capitis ornatu amoto utplurimum effingebantur. Quod Nervae, Trajani, & Hadriani, ipsiusque Antonini Pii, Marci, & Lucii ejus successorum, aliorumque Imperatorum numismata ad eorundem apotheosim spectantia plane nos admonent.

Verum si ad communem Romanorum morem hic sit aliqua ratio habenda, apud quos mortuorum corpora detecto capite efferebantur, uti ex Paterculo, qui libro II. cap. IV. Scipionis corpus velato capite elatum, rem veluti inusitatam, observat, atque ut ex vetustis etiam eorum sepulchris nos abunde instruimur: id potius consecrati Imperatoris mortem, quam illius consecrationem designare dixerim. Unde Spartianus in Hadriano cap. XXVI. inter alia, quae illius mortis praenuntia fuisse narrat, hoc primum recenset, quod natali suo ultimo, hoc est IX. Kal. Februarias anni aerae Christianae 138. quum Antoninum commendaret, praetexta sponte delapsa caput ei aperuit.

Toga praeterea Antoninus indutus dextra scipionem tenet, aquila in ejus summitate supra globum insculpta. Quem etiam uti sacrum Jovis insigne non ad Imperium tantum, sed ejus quoque divinitatem praemonstrandam dextrae ipsius impositum fuisse quidam existimant. Huic nanque simile a Pausania lib. I. Eliac. cap. XI. sceptrum describitur, quod Jovis Olympii statuam, celebris Phidiae opus, gestasse refert.

refert. τῇ δὲ ἀριστερᾷ τοῦ θεοῦ χαρίεν ἐστι σκῆπτρον μετάλλοις τοῖς πᾶσιν ἠνθισμένον. ὁ δὲ ὄρνις ὁ ἐπὶ τῷ σκήπτρῳ καθήμενος, ἐστὶν ὁ ἀετός. *Laeva sceptrum tenet affabre expolitum, & omnium metallorum varietate distinctum. Quae avis sceptro incumbit, aquila est.* Et Pindarus in Pyth. ode I.

εὕ-
δει δ' ἀνὰ σκάπτῳ Διὸς αἰ-
ετός, ὠ-
κεῖαν πτέρυγ' ἀμφοτέρω-
θεν χαλάξαις,

Dormitque super sceptro Jovis aquila velocem alam utrinque laxans. Quod praeterea & Romae in templo Jovis Feretrii superstitioso cultu adservabatur, proque ipsius quandoque Jovis imagine sumi solebat; tunc praecipue quando cum remotis gentibus foedus ferire oportuit: apud quas Jovis simulacrum, per quod Romani jurabant, commode haberi non poterat.

Veruntamen quanvis sceptrum istud adeo tunc Jovis proprium fuisset: nihilominus non illius divinitatem, sed imperium, quod supra universum orbem, Deos Deasque ei dabatur, denotabat. Quare S. Augustinus lib. IV. de Civit. Dei cap. IX.: *Ipsum enim* (Jovem) ait, *Deorum omnium Dearumque Regem esse volunt. hoc ejus indicat Sceptrum.* Atque hoc quidem non ab Jove ad Reges derivatum, sed Jovi potius Regum exemplo tributum reor: qui, tan-


quam ſuae majeſtatis poteſtatiſque index, ſceptrum cum aquila deſuper gerebant: ἐν γὰρ, τοῖς σκήπτροις τῶν βασιλέον ἦν ἀετὸς. *nam in ſceptris Regum Aquila extabat*, ut ait Ariſtophanis Scholiaſtes in Avibus. Quod Romani, quemadmodum & reliqua regalis dignitatis decora a Thuſcis Regibus, poſtquam Tarquinius Priſcus bello preſſos eos ad pacem poſtulandam coegerat, acceptum illud referant, auctor eſt Flor. lib.I. cap.V., & expreſſe ex Dionyſio Halicarn. lib. III. habetur, ubi, *Cum hoc*, ait, *reſponſo legati dimiſſi poſt paucos dies redeunt non nuda verba tantum, ſed & Principatus inſignia, quibus ſuos Reges ornare conſueverant, coronam auream, & ſellam eburneam, ſceptrumque in ſummitate habens aquilam, & purpuream tunicam aureo clavo ornatam, & togam pictam*. Regibus poſtea Urbe exactis, Conſulum, qui in publicae rei adminiſtratione Regibus ſucceſſerunt, geſtamen evaſiſſe, res cuique eſt obvia. Hinc Juvenal. Sat. X. verſ. 43., ubi Conſularem faſtum perſtringit:

Da nunc & volucrem, ſceptro quae ſurgit eburno.

Ita etiam non Conſulum tantum, ſed & triumphantium manus ſceptro eodem exornatas olim fuiſſe, non notum minus eſt. Caſſiodor. lib.VI. Variar. in I. Conſulatus formula: *Pinge*, ait, *vaſtos humeros vario colore palmatae: validamque manum victoriali ſcipione nobilita*. Imperatores propterea etſi ab omni regio cultu ſedulo ſe

abſti-

abſtinerent: quoties tamen vel Conſules procedere, vel triumphum iis agere contigerat, illud geſtare pro ſolenni habuere, ut in nummis proceſſu aliquo conſulari, aut triumphali curru inſignibus expreſſum non ſemel occurrit. Recte proinde Joannes Schildius ad Suetonium in Galba cap. 1. Auguſti ſtatuam, quia ſceptrum, eodem Suetonio teſte, paullo ante Neronis interitum e manibus ei fulmen excuſſerat, triumphali habitu ornatam fuiſſe credidit. Inter nummos, qui Imperatorem triumphantem exhibent, hic ſeſe offert, quem ſubdere viſum eſt, aereus, & primae magnitudinis Antoninum Pium de Britannis, ut videtur, triumphum ducentem repraeſentans.



In eo ſiquidem eodem prorſus, quo in hoc marmore, habitu indutus ſceptroque illuſtris Antoninus conſpicitur: adeo ut nullus ſuſpicandi ſit locus, quod aquiligerum ſceptrum iſtud ad ejus Conſulares proceſſus, non ad ejus conſecrationem ſit referendum. Quanvis enim pro quodam aeternitatis

ſymbolo a ſcriptoribus paſſim aquila accipiatur: ſceptro tamen inſiſtens, Imperii potius, quam Imperatoris, ſeu Conſulis aeternitatem deſignat.

Binae vero, quae hinc inde aquilae viſuntur, quod utriuſque immortalitatem conſecrationemque portendant, nulla prorſus eſt dubitatio. Notiſſimus eſt enim tum ex Herodiani libro IV., tum ex nummis vetus ille Romanorum ritus in publicis eorum Principum conſecrationibus ſervari ſolitus: in quibus, ut Principatus majeſtati proſpiceretur, e rogi faſtigio tanquam ab Jove miſſam, ut conſecrati Imperatoris animam ad ipſum deferret, vulgus ita ludificantes nigram aquilam dimittebant. Hoc idem in Auguſtarum mulierum conſecrationibus etiam peregiſſe liceat autumari: etſi in illarum monumentis ad id indicandum, Pavone tanquam ſacra Junonis ave uterentur: quod tamen non ſemper, uti Pierii Valeriani lib. XIX. Hieroglyph., & recentiorum aliquot eſt hodie opinio: quos propterea ad Antonini conſecrationem tantum aquilam utranque hic inſculptam referre audio. Interdum enim quod pro earum conſecrationis indicio vel Aquila uſi fuerint, argenteus ipſius Fauſtinae nummus aperte teſtatur: quem ex muſeo M. Antonii Sabatini, penes quem magna profecto in antiquis nummis dignoſcendis, expoliendiſque ac priſtino prope nitori reſtituendis peritia extat, una cum altero Antonini nummo itidem argenteo delineatum ſubjicimus.

Prae-



Praeter hunc vero ſi quis rectius nummos alios, Plotinae ſcilicet, Marcianae, Matidiae, Sabinae, & Juliae Maeſae nummos hoc eodem divinitatis ſymbolo, aquila nimirum, exornatos obſervare voluerit, de eo quidem inſtrui ac erudiri quammaxime poterit.

Quanquam vero, ut diximus, conſecratorum animas altius attollere, illaſque ad ſuperos vehere aquilae officium in conſecrationibus eſſe crederetur: utraque hic tamen ab opere ceſſat, ac ſolummodo Antonini, & Fauſtinae animas comitari videtur, munus earum venuſto alatoque ſubeunte juvene, quem mundi Genium nos eſſe putamus. Etenim quum apud veteres hoc in more poſitum fuerit, ut cuilibet ex innumera Geniorum turba loci illius, cujus Genius credebatur, ſymbolum adderent; quod nummi, Graecarum praecipue urbium, uberrime declarant: huic etiam mundi typus, ſphaera videlicet, quam quinque ſtellis diſtinctam laeva gerit, impoſitus fuiſſe videtur: illamque Zodiacus de more interſe-

cat:

cat: in quo Tauri dimidium, Arietis, & Piſcium ſigna apparent, quae ad ipſius Antonini Pii obitus, qui, ut patuit, die vii. Martii contigit, vel ad xiv. ejuſdem menſis diem, qua illius conſecratio habita fuit, referri poſſe nonnemo exiſtimat. At ubinam Sol, qui tunc per Piſces tranſitum faciebat? Immo quum Luna ibi creſcens, quae duabus hinc & inde ſtellis additis, medium caeli ſpatium tenet, nocturnum ſic potius tempus denotet, jam plagas occidentales, ſignumque proinde aliud tunc Solem occupaſſe, quod dici non poteſt, ita monemur. Quum res propterea certiſſima ſit, Antoninum die ſuperius data animam edidiſſe, pro comperto quoque haberi debet, quod non ad tempus aliquod demonſtrandum haec ſigna inſculpta fuerint: quodque non aliud ibi myſterium ineſſe videatur, quam quod ita Zodiacus, uti paſſim fieri ſolet, cum principe caeleſtium ſignorum Ariete, inter Taurum, & Piſces medio, indicari voluerit.

Globo autem ingens ac tortuoſus ſerpens adhaeret, qui, collo ſupra polum Arcticum in ſpiram contracto, Genium illum Antonini, & Fauſtinae ductorem reſpicit: caudamque ſub Antarctico exeuntem ac pene demiſſam explicat. Quare facile hic poſſet cuſtos ille malorum Heſperidum Draco ſymbolice effictus videri, qui nempe, ut Mythographi fabulantur, Eratoſthenes praeſertim cap. iii. Cataſteriſm., & Hyginus lib. ii. cap. iii. Poetic. Aſtronom., ab Hercule interfectus, & Junonis beneficio vitae reſtitu-

ſtitutus; caeloque locatus, immani, atque immenſa ſui corporis magnitudine Urſam utranque complectitur. De quo Manilius, poſteaquam de Urſis iisdem egerat, ita lib. I. Aſtronomic.

Has interfuſus, circumque amplexus utrumque
Dividit, & cingit ſtellis ardentibus anguis
Ne coeant, abeantque ſuis a ſedibus unquam.

At Hyginus ibidem lib.III.cap.II.caeleſtis hujus ſerpentis, ſeu draconis figuram deſcribens, *Draco*, inquit, *inter duas Arctos collocatus, videtur corporis ſinu facto Arctum minorem ita concludere, ut pene pedes ejus tangere videatur: cauda autem flexa caput majoris attingere: & ſuo capite tanquam reducto circulum Arcticum tangens, corpus ut in ſphaeram complicari*. Quam formam, eam ſcilicet corporis ſinuationem, qua duos fere circulos efficiat: unum, quo majorem, alterum, quo minorem Urſam concludat, anguis noſter nullatenus exprimit.

Tam hoc propterea, quam ceteris ſerpentum ſymbolis praetermiſſis, quae apud hieroglyphicorum interpretes tam multa, tamque varia occurrunt, quaeque a re noſtra remotiora videntur: tortuoſum anguem iſtum ipſius potius mundi, per quem, ut cernitur, late ſe porrigit, animam referre putamus: juxta videlicet Pythagoreorum, aliorumque Philoſophorum ſententiam, qui Dei cognitionis penitus expertes mundum Deum anima rationeque praeditum eſſe ſtulte putarunt: ac praecipue Timaeus Locrus apud Pla-

Platonem Περὶ ψυχᾶς κόσμω de Anima Mundi, qui ait: *Hunc igitur mundum ex omni materia creavit Deus, universique naturam terminum ipsum circumscripsit atque definiit: quod videlicet omnia alia in seipso complectatur, quippe quod unum sit unigenitum, perfectum, anima & ratione praeditum (sic enim melius erat futurum, quam illud quod animae & rationis est expers) globoso corpore.* Quorum doctrinae non nescius ita Verg.lib.vi.Aeneid.vers.724.

Principio caelum ac terras camposque liquentes
Lucentemque globum Lunae Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Ratio vero, ob quam Aegyptii hujusmodi mundi spiritum per serpentem repraesentabant, ab Horapoll.lib.i.cap.ii.(ubi quum propriam sibi caudam serpens devorat, mundum ipsum designari monet) atque itidem a Piero Valer. lib. xiv. cap.i., & xii. Hieroglyph. exponitur. In eo siquidem quatuor elementa, quae secundum Timaeum sunt mundi corpus, symbolice agnoscebant. Terram scilicet in ejus corporis gravitate: in ejus lubricitate aquam: in horrisono, quem emittit, sibilo, aerem: ignem vero in squammarum varietate, quae supremum stellarum orbem, ubi est ignis, imitantur.

Hoc igitur tam pereleganti, atque erudito orbis typo insignis Antoninum inter Deos relatum Genius levat: cum quo Faustina ejus uxor una simul conspicitur,


tur , ut illi forſan in caelis etiam ſociata daretur intelligi. Hanc etenim Antoninus, ut auctor eſt Capitolinus in illius vita cap. VI., *tertio imperii ſui anno perdidit* : qui in annum incidit ab U. C. DCCCXCIII jam inchoatum, aerae Chriſtianae 140., ipſo Antonino III. & Aurelio Caeſare Coſſ. : quum nempe nondum trigeſimum ſeptimum aetatis annum Fauſtina abſolviſſet, ut ex veteri inſcriptione deducimus, quae legitur apud Gruterum pag. CCLXI. 3.

MEMORIAE
DIVAE . FAVSTINAE . AVG.
PIAEQ. CLARISSIMAE
RELICTA . MATRE
INFELICISSIMA
VIX. ANN. XXXVI. MENS. III.
DIEB. XI.

Qui ſane lapis juniori Fauſtinae convenire minime poteſt: quum haec matri ſuperſtes fuerit; ibi vero mater ſuperſtes filiae dicatur. Ejus matris nomen etſi in hoc lapide reticeatur : attamen ex Capitolino in vita M. Aurelii cap. I. ſatis conſtat, eam Rupiliam Fauſtinam fuiſſe Rupilii Boni viri Conſularis filiam, atque Annii Veri M. Aurelii avi uxorem.

Quanvis igitur haec ſenior etiam Fauſtina parum quidem ſecunda fama vixerit; nam *de ea multa*, inquit Capitolinus in Antonino Pio cap. III., *dicta ſunt ob nimiam libertatem, & vivendi facilitatem, quae iſte*, nempe Antoninus, *cum animi dolore compreſſit*:

is tamen tantusque erat amor, quo Antoninum omnes proſequebantur, ut, illa mortua, eodem Capitolino teſte, *a Senatu conſecrata eſt, delatis Circenſibus, atque templo & Flaminicis, & ſtatuis aureis atque argenteis*. Quae quidem omnia & veterum monumentorum fide comprobantur. Circenſes nanque ei delatos & nummus, in quo thenſae a duobus elephantis tractae, ſupra quas dextra ſceptrum gerens cerea ipſius Fauſtinae imago ſedet, & perrarus nummus hic noſter primae magnitudinis, atque optime ſervatus manifeſte declarant.



Mulare ſiquidem carpentum hic praefert ſtatuis quamplurimis ornatum, quod arcuatus, ut oculis patet, atque, ut Lipſii verbis utar ex cap. xi. de Re Veſt. deſumptis, *ſuperne tectus, & camerae in modum* currus erat. Non ſemper enim thenſis, quae patentes deſuper, quaeve equis, vel elephantis, vel leonibus junctae, altera ſacrorum curruum ſpecies erant: immo carpento a mulis tracto ſaepius in Auguſtarum conſecrationibus cerea illarum ſimulacra per Circum traduci ſolebant. Advertit tamen Vaillantius

tom. ii.

tom. II. Numiſm. Imper. Roman. pag. 137., ubi argenteum Marcianae nummum explicat, quod quum thenſae in eo expreſſae coopertae deſuper occurrant, atque in iis cerea ejuſdem Marcianae ſtatua non appareat, ejus propterea corpus, dum ad rogum deferebatur, reconditum fuiſſet. Quod ſi verum eſſet, idem etiam de carpento, utpote ſuperne tecto, omnino ſentire oporteret. quum notum tamen ſit, conſecratarum mulierum, vel quarum memoriae annuos Circenſes Senatus decernebat, carpento cereas imagines per Circum ferri moris fuiſſe. Hoc idem propterea de thenſis, etiamſi deſuper inſtar carpenti coopertae ſeſe offerant, dicendum erit: atque eo magis quod quum veterum ſcriptorum teſtimonio ſacrum Deorum vehiculum hae fuerint, nefas futurum fuiſſe videtur, non conſecrati adhuc corpus in eas inferre. Nam quanvis Senatus alicujus conſecrationem decreviſſet: donec tamen haec ſequuta non fuerat, inter Deos relatus quiſquam dici, aut haberi non poterat. Quod ex ſepulcrali Antonini inſcriptione mihi ſuperius producta non obſcure patuit: quae quum immediate poſt illius corpus in Hadriani ſepulchrum illatum appoſita ibi fuerit: die nempe ſeptima ante illius conſecrationem, ut moris erat, omni proinde conſecrationis divinitatiſque indicio caret. Quod autem tam carpentum a mulis tractum, quam thenſae, quae ab elephantis, vel ab equis paſſim vehebantur, nonniſi pro

Circensi pompa, in consecrationibus praecipue, inservirent, certissima testimonia non desunt. C. Caesar Caligula apud Sueton. cap. xv. Agrippinae *matri Circenses, carpentumque, quo in pompa traduceretur, instituit*: & Claudius apud eundem cap. xi. *Aviae Liviae divinos honores, & Circensi pompa currum elephantorum Augustino similem decernendum curavit. Parentibus inferias publicas, & hoc amplius patri Circenses annuos natali die: matri carpentum, quod per Circum duceretur*. Deinde nec mihi satis probatur, quod ibidem pag. 138. vir excellens ait, quod thensis nempe *imago cerea illius, qui consecrandus erat, per Circum solenni pompa in Campum Martium deferebatur*. Herodian. nanque lib. iv. non per Circum, sed per Viam Sacram in vetus Forum, de quo nos plura in Differt. DE . NVMMO . CLEMENTINO . SEV . DE . ANTIQVA . S. THEODORI AEDE. SVB. PALATINO. POSITA: quam postea, si quid nobis ocii erit, aggredi meditamur: inde in Campum Martium non thensis, sed nobilium juvenum humeris deportabatur. *Lectum* (ubi imago) *humeris attollunt*, ait Herodianus, *equestris senatoriique ordinis nobilissimi, ac lectissimi juvenes: perque Viam Sacram in vetus Forum deferunt: ubi magistratus Romani deponere imperium consueverant. Utrinque autem gradus quidam sunt ad scalarum similitudinem exstructi: in quibus altera ex parte puerorum chorus est e nobilissimis atque patriciis: altera*

altera feminarum illustrium hymnos in defunctum, paeanasque canentium verendo ac lamentabili carmine emodulatos. quibus peractis tollunt iterum lectum, atque extra Urbem perferunt in Martium Campum.

Sed ad nostrum Faustinae nummum sermo jam redeat. Ubi advertendum, quod quum alius junioris Faustinae nummus ejusmodi mulari carpento insignis extet: in quo tamen carpentum non eadem parte, qua in nostro locatur, nec nota haec inest: EX S. C., sed S. P. Q. R., male propterea Biaeus, & Mediobarbus hunc inter senioris Faustinae nummos adnumerarunt. Verumtamen alium nostro similem, qui vere ad ipsam Faustinam matrem attinet, ex indice insignis olim musei Cavotortae Mediobarbus recitat: uti etiam cum hoc typo inter ejusdem nummos argenteum unum, aereum alterum, sed maximi moduli laudatus Vaillantius describit: quos praeter mihi quidem alios deprehendere non licuit.

De Flaminicis praeterea nostrae Faustinae sacerdotibus, quarum Capitolinus superius meminit, vetus extat inscriptio apud Gruter. pag. CCCXXII. 5.

SAENIAE . CN. FIL
BALBILLAE
SACERDOTI . DIVAE
FAVSTINAE . DECVRI
ONES . AERE . COLLA
TO . OB . MERITA . EIVS.

& pag.

& pag. MLXXXVIII. II.

LEPIDIAE . L. F.
PROCVLAE
SACERDOTI . DIVAE
FAVSTINAE
AVG. ET
DIVAE . MATIDIAE
AVG. D. D. P.
PECVNIA . AB . EA
REMISSA

Templum vero ei exſtructum tum nummi, in quibus ſcalptum cernitur cum epigraphe: AEDES DIVAE. FAVSTINAE: vel cum alia: DEDICATIO. AEDIS: tum ejuſdem templi porticus, quae in Via Sacra etiamnum ſupereſt, abunde ſatis teſtantur. ibi enim inſcriptum fronti legitur:

DIVO . ANTONINO . ET
DIVAE . FAVSTINAE.

Quae ſane literae quum poſt mortem ipſius Antonini inciſae ibi fuerint, manifeſtum proinde eſt, templum illud, quod uni tantum Fauſtinae antea excitaverat, communi poſtea illius, & Antonini nomine denuo Senatum dicaſſe. Hoc Spartian. in Antonino Caracalla cap. IV. *Templum Divi Pii* appellat. Poſtquam enim in ejuſdem Caracallae conſpectu Papinianum ſecuri percuſſum fuiſſe retulit: *Occiſus eſt etiam*, ſubdit, *ejus juſſu Petronius ante templum Divi Pii, tractaque ſunt eorum per plateam cadavera*

ra ſine aliqua humanitatis reverentia. Quod vero de hoc Fauſtinae templo loquatur, ex Dionis libro LXXVII. deducitur: in quo habetur, quod dum Petronius neci dabatur, Caracalla, ante cujus oculos interemptus cecidit, in Palatio, unde ejuſdem templi, & Viae Sacrae proſpectus erat, degebat. Quod pariter ex plateae nomine, quo Spartianus Viam Sacram intellexiſſe videtur, argui poteſt. voce hac etenim alios etiam Latinos ſcriptores uſos fuiſſe, quum celebriores nempe latioreſque Urbis vias denotare voluerint, non eſt qui neſciat. Id clarius ex Spartiano ibidem cap. IX. *Idem*, hoc eſt Caracalla, *viam novam munivit*, *quae eſt ſub ejus thermis*, Antoninianis ſcilicet, *qua pulchrius inter Romanas plateas non facile quicquam invenias*.

Supra ceteros vero honores, qui Fauſtinae poſt mortem collati fuere, is notatu dignus eſſe videtur, quod nummi quoad Pius vixit, in ejus memoriam publico Senatus decreto cuſi fuerunt, ut ex ingenti illorum copia, in quibus DIVA inſcribitur, deduci omnino debet. Quod miror, Angelonium non ſatis animadvertiſſe; quum potius exiſtimandi occaſionem inde ſumpſerit, Fauſtinam divinos titulos in vita etiam obtinuiſſe. Haud diſſimili allucinatione Stephanus Zamoſius in Analect. Lapidum Daciae, quae Commentariis de Republica Romana Wolfgangi Lazii accedunt pag. 44. idem prorſus de alterius Fauſtinae hujus filiae nummorum

ejuſ-

ejuſmodi frequentia eſt opinatus.

Velum praeterea Fauſtinae capiti impoſitum in hoc marmore cernitur: quod, ut liquet, in conſecratis Romanis principibus feminis pro illarum conſecrationis argumento accipitur. Nam etſi quandoque in nummis illud fuerit praetermiſſum: nulla tamen Auguſtarum mulierum, quin conſecrata fuerit, velata occurrit: ſi modo Liviam Auguſti uxorem, Antoniam C. Caeſaris Caligulae aviam, & Agrippinam Neronis matrem excipias: quarum prior ſub Pietatis, vel alterius Deitatis ſymbolo vivens adhuc, ac nondum ei divinis honoribus a Claudio impetratis, aeri velata cernitur: reliquae vero licet nunquam inter Divas relatae, & ipſae nihilominus capita velo obducta in nummis oſtendunt: Antonia ſcilicet, quia Auguſti Sacerdos, omneſque, ut Dionis lib. LIX. Veſtalium honores ei fuerant a Caligula delati, & Agrippina, quia Liviae exemplo & ipſa Claudii ſui viri ſacerdos fuerat, ut ex Tacito lib. XIII. Annal. cap. II. ſatis ſuperque liquet.

Caput vero ita velatum, quod feminis in vita ſacerdotii, poſt mortem earum conſecrationis indicium erat: in Auguſtis tamen viris vivis aeque, ac mortuis nihil aliud, quam ſummi Sacerdotii dignitatem, qua functi fuerant, praeſeferebat: uſque ſcilicet ad Conſtantii Chlori tempora, poſt quae conſecrati deinde Imperatores nonnulli velari coeperunt, ſicuti ex eorum nummis liquido patet, ejuſdem praecipue

Con-

Constantii, Maximiani, & Constantini Magni, de cujus velamine multa ad annum 337. illustris Ecclesiasticorum Annalium scriptor Baronius.

Vir tamen & munere doctrinaque conspicuus Gisbertus Cuperus, mihi non semel, ut decuit, in hoc opere laudatus: cujus singularis animi modestia, atque humanitas ex ejus epistolis ab Antonio Magliabechio viro celeberrimo, ac de re literaria optime merito nuper acceptis, atque inde ad eruditissimum Fontaninum, eximiumque juvenem Dominicum Passioneum, qui summo ingenio, studioque magnum sibi nomen in literis adornat, Romam missis jam satis innotuit: cujus item excellenti reconditaeque eruditioni, qui hoc scribendi genere exercentur, non parum sane honoris & auctoritatis deferre debent; quod velatum J. Caesaris caput saepius in nummis exhibitum divinitatem, non vero Pontificatum designet, putasse videtur. In expositione etenim praestantissimae Augusti Gemmae ad calcem Apotheosis Homericae, cujus sane marmor nobilissimae hujus Columnensis domus parietes mirifice exornat, haec ad pag. 209. scriptor elegantissimus habet: *Altera*, inquit, *divinitatis nota est, pars posterior capitis tecta; qualis Libera, vel Proserpina: Cybele, sive Juno in Sardianorum apud Seguinum: Ceres in Panormitanorum nummis apud Parutam: Diva Paulina: Diva Marciana: C. Julius Caesar inter Deos relatus, ne quis forte*

 pon-

Pontificem respicere ornatum illum existimet; Faustina, Constantius Chlorus, & Constantinus magnus apud Tristanum, aliique apud alios Dii, Augustaeve occurrunt. Quod mihi, sane fateor, vir summus facile persuasisset, nisi non unus apud Antiquarios, Goltzium praecipue, atque Ursinum Caesaris nummus obvius esset, in quo vel Augur, vel Pont. Max., inscribitur, &, pontificalibus ibi simul instrumentis expressis, ita velatus conspicitur: quae quidem omnia non ejus consecrationem, sed Pontificatum ab eo gestum designare jam mihi videntur. secus enim & M. Lepidus consecratione donatus dicendus esset, quandoquidem & ipse eodem habitu indutus in suis nummis effingitur, quum tamen trita res adeo sit, quod ita velatus exhibetur, quia mortuo Caesare in Pontificatu maximo ei successit.

Verum in Tiberiana Regis Christianissimi gemma Augustus jam in numerum Deorum adscitus capite radiato, & velo itidem insignis ostenditur. Ubi radiatam coronam non tantum, sed velatum etiam illius caput pro certo indubitatoque consecrationis divinitatisque signo a Rubenio desumitur: Magni nempe Constantini exemplo, qui consecratus, ut jam diximus, ita velatus in ejus nummis sese offert. De quo Eusebius lib. iv. cap. lxxiii. *Jam vero*, inquit, *in numismatis quoque expressae formae, quae ab una parte beatum hunc nostrum obvoluto capite repraesentabant, & altera parte quadrigae,*

instar

instar aurigae insidentem susceptum a dextra manu caelitus demissa. At quae superiorem aetatem respiciunt, non omnia, immutato posteriorum temporum usu, recte mihi explicari posse videntur. Principio enim laurus quoque victorum ac triumphantium tempora ornabat, ut in sua de Nummo Heracliano pereleganti Dissertatione pag. 31. Joannes Christophorus Battellus vir eruditissimus pariter accuravit: quam reliqui postea Imperatores sibi usurparunt. Ita etiam corona radiis distincta, quae in Augusto consecrationis indicium extiterat, processu deinde temporis, ut obvia de hoc in nummis est observatio, commune Imperialis fastigii, Regalisque dignitatis ornamentum evasit.

In eadem propterea gemma, ut divinitate donatus Augustus denotaretur, radiata corona praefulget: ut Pontificis vero Maximi suprema dignitas post M. Lepidi mortem ab eo assumpta indicari etiam posset, toga ad ejus caput fuit adducta. Ita quoque ad illius Pontificatum declarandum, in altera ipsius Augusti Gemma apud eundem Rubenium, ei lituus sinistrae imponitur. De hoc autem clariora in nummis, in quibus nullus ex reliquis Imperatoribus, nisi sacrificans, velatus visitur, exempla extant: quorum plurima in unum congesta videri possunt apud Choulium de veteri Romanorum religione a pag. 188. usque ad finem.

Atque id non minus quidem patebit, si ejus-

modi ritus, capita nimirum ſacerdotum velandi, origo expendatur: quam eruditi ex Vergilio ab Aenea paſſim repetunt: qui ſacra dum agebat, ne hoſtili obtutui pateret, reſque divina diſturbaretur ut caput propterea ſibi veſte operiret, ita illum Helenus monuit apud eundem Vergil. lib. III. Aeneid. verſ. 403.

Quin ubi tranſmiſſae ſteterint trans aequora claſſes,
Et poſitis aris jam vota in litore ſolves,
Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omina turbet.


Romani ergo Aeneae ſuae gentis religioniſque auctoris exemplo, quoties ſacra facturi erant, morem hunc ſemper religioſe retinuerunt. Atque ideo Fratres Amales MANIBVS. LAVTIS. ET. VELATO. CAPITE ſacrificium indicere ſolebant, ut Fabret. Inſcript. cap. VI. pag. 446. etiam praemonuit.

Praeterea, ſi non id ſacerdotium, ſed divinitatem denotaret, nonne aliquod ſaltem Deorum ſignum capite ita velato conſpiceretur? quod neſcio, an tale ſeſe ulli unquam obtulerit. Verum qui de hoc plura ſcire cupit, doctiſſimum Adrienſem Epiſcopum Philippum a Turre conſulat, qui in monumentorum veteris Antii expoſitione cap. III. multa, quae in hanc rem dici poſſunt, erudite congeſſit. Ipſe interim ad quae mearum ſunt partium deveniam.

CAPUT

CAPUT . IX.

Immortalitatis Genius per juvenem, qui Obeliſcum protendit, deſignatus. Obeliſcus, & Pyramis immortalitatem cur denotent. Deae Romae deſcriptio. Mos circa Auguſtorum rogum decurrendi unde profectus. Cur ejuſmodi decurſiones a Dione Urbanae *dicantur. Antiquiſſima tum ex Graecis, tum ex Romanis deſumpta decurſionum exempla. Quae lex in iis ſervata. Cur eaſdem Dio* Pyrrhichias *appellet. Quid Pyrrhicha. Nobilium puerorum, in Circo ut plurimum, decurſio a ſcriptoribus* Troja, *a vulgo vero* Pyrrhycha *appellata. Unde Caeſaribus* Principis Juventutis *titulus. In funere Impp. & eorum quoque filii decurrebant.*



Jam vidimus Antoninum, & Fauſtinam ab alato mundi Genio in ſublime deferri. Nunc vero ad quae ibidem in inferiori regione inſculpta viſuntur, liceat oculos demittere: in qua primum alterius Genii figura humi fere ſtrata ac ſeminuda dextrorſum cernitur: qui ſiniſtro femore obeliſcum ſubſtinet, illudque laeva amplectitur. Hic autem quod non alium, quam Immortalitatis Genium praeſeferat, nullus mihi quidem ſcrupulus iniicitur: quum Obeliſcum non novum, nec obſcurum Immortalitatis ſymbolum, perinde ac ſi illum in Antonini honorem extollat, ita complectatur. Exploratum eſt enim, quod

quod quemadmodum ingentes Romani columnas, ita suos Aegyptii obeliscos illustribus viris erigere solebant, ut jam illos mortalium conditionem praetergressos hoc pacto declararent: atque ideo iisdem Obeliscis pyramidalem formam induxerunt, qua videlicet nostra immortalitas symbolice adumbratur. Docet nanque in Timaeo Plato, ut libro LX. cap. XX., & XXI. Hieroglyphic. Pier. Valerianus advertit, quod immortalis hominis anima, utpote simplicissima ac subtilissima substantia in sublime tendens, ignis naturam induat: ac propterea hic sicuti pyramidalem figuram imitatur, ita ipsa quoque anima illam referat. Liceat mihi ejusdem Valeriani verba hic transcribere: *Ignem quoque*, inquit, *Pyramidis formam habere, testatur idem Plato: propterea quod quum in imo latus sit, circa materiam & fomentum, quo pascitur, in acutam flammam, quae caelum spectat, desinit. Nam per basim materia concreta significatur, per reliquum corpus, materia jam ad formam recipiendam parata, & quasi fermentata: per punctum ipsa informis & simplicissima substantia. Unde minus mirum est, quod supra diximus, per Pyramidem animam significari, ut quae igneae naturae ab eodem Platone esse tradatur, & corpori non secus, ac Pyramis basi, vel ignis fomento adhaereat*. Cui & Lactantium addam, qui lib. II. cap. IX. de origine erroris, *Nos enim*, ait, *quoniam caeleste atque immor-*

immortale animal ſumus, igne utimur; qui nobis in argumentum immortalitatis datus eſt: quoniam ignis de caelo eſt. Cujus natura quia mobilis eſt, & ſurſum nititur, vitae continet rationem. Et cap.XII. *Quod ſi anima ignis eſt, ut oſtendimus; in caelum debet eniti, ſicuti ignis, ne eſtinguatur: hoc eſt ad immortalitatem, quae in caelo eſt.* Ennius item in Epicharmo. *Terra, corpus eſt: at mentis, ignis eſt.* Hinc ſapientiſſimus ac ineffabilis Creator Deus erectum ſoli homini corpus dedit, ut noſtrae immortalitatis index eſſet. Quod Cicero lib.I. de Legibus his verbis expreſſit: *Natura homini figuram corporis habilem, & aptam humano ingenio dedit. Nam quum ceteros animantes abjeciſſet ad paſtum, ſolum hominem erexit, & ad caeli quaſi cognationis dodomiciliique priſtini conſpectum excitavit.* Quo & illud Ovidii ſcitum omnibus pertinet lib. I. Metam. verſ. 84.

Pronaque quum ſpectent animātia cetera terram,
Os homini ſublime dedit, caelumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Atque non alia quidem de cauſa factum deinde credimus, ut apud Chriſtianos etiam hujuſmodi mos invaluerit, quum Obeliſci, aut Pyramides nonnullorum procerum tumulis ita conſpiciantur inſculptae.

Ex adverſo praeterea inclyta Dea Roma galea, & parazonio inſignis, veſteque ad talos uſque demiſſa ad decurrentem Tiberim ſpoliis militaribus inſidet:

ſidet: dextramque, quae tamen temporum iniuriae ceſſit, in eundem orbis Genium extendit, eique Antoninum, & Fauſtinam altius deferenti quaſi auxiliariam manum praebet, ut ex duobus ejus digitis, qui reliqui ibi ſunt, clare conſpicitur. Siniſtra vero clypeo laurea corona circundato incumbit, in cujus medio Lupa Romulum & Remum infantes lactans, alteriusque illorum caput lambens exprimitur: non ſecus ac in clypeo, quem Vulcanus Aeneae elaboraverat, a Vergilio graphice propemodum repraeſentatur Aeneid. lib. VIII. verſ. 630.

Fecerat & viridi foetam Mavortis in antro
Procubuiſſe Lupam: geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem
Impavidos: illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.

Et Ovid. lib. II. Faſtor. verſ. 417.

Conſtitit, & cauda teneris blanditur alumnis,
Et fingit lingua corpora bina ſua.

Id vero non minus, quam reliquus ejus corporis ornatus illi plane reſpondere videtur, qui a Claudiano in Panegyr. de Olybrii & Probini Conſulatu verſ. 83. politiori quoque ſtylo deſcribitur:

Ipſa triumphatis qua poſſidet aetera regnis
Aſſilit, innuptae ritus imitata Mineruae.
Nam neque caeſariem crinali ſtringere cultu
Colla, nec ornatu patitur mollire retorto;
Dextrum nuda latus, niveos exſerta lacertos

Au-

Audacem tetigit mammam, luxumque coercens
Mordet gemma sinũ. Nodus, qui sublevat ensem,
Album puniceo pectus discriminat ostro.
Miscetur decori virtus, pulcherque severo
Armatur terrore pudor, galeaeque minaci
Flava cruentarum praetenditur umbra jubarum,
Et formidato clypeus Titana lacessit
Lumine, quem tota variarat Mulciber arte.
Hic patrius Mavortis amor, foetusque notantur
Romulei: pius amnis inest, & bellua nutrix.

Ad ejus pedes armorum congeries visitur, atque inter cetera scutum, cujus medium tenet Medusae caput, desuper vero arcus gryphi caput exhibens: pharetra itidem jaculis oppleta, inde galea, cui similis alia infra ipsius Romae pedes jacet. Atque haec quidem ad victoriam de Britannis ab Antonino relatam spectare existimant aliqui: ego vero ad ipsam potius Romam omnino referenda esse censeo. Ita enim Roma sedens in nummis & marmoribus passim effingitur.

Jam vero in reliquis duabus hujus stylobatis partibus equitum peditumque decursiones insculptas habemus. Figurae tamen, quae ad id exprimendum affictae fuere, adeo omnes, ut oculis patet, sunt detritae, ut si quis singulas persequi vellet, rem sane taedio, ac divinatione plenam assumeret. Hae igitur non utique ad militarem aliquam Antonini expeditionem, ut minus recte nonnulli credunt,

ſed ad funebrem illius pompam referri omnino debent. Notiſſima eſt enim, & ſcriptorum monumentis abunde tradita vetus Romanorum circa ſuorum virorum principum rogum equitandi conſuetudo: quae licet ab initio in caſtris penes milites eſſet, deinde tamen & intra urbes recepta fuit, ubi extinctis belli ducibus more militari parentabatur: atque ideo ad caſtrenſium decurſionum differentiam decurſiones in funere Pertinacis in Urbe habitas πολιτικάς, hoc eſt *urbanas* a Dione lib. LXXIV. vocatas fuiſſe arbitror.

Militibus quippe tanquam ſolenne ac religioſum fuit ſemper armis inſtructos circa demortui ducis rogum procedere honoriſque cauſſa decurrere. Hinc Homerus, ut rem altius repertam, lib. XXIII. Iliad. verſ. 13. ita circum Patrocli cadaver milites decurrentes maerenteſque inducit.

Οἱ δὲ τρὶς περὶ νεκρὸν ἐΰτριχας ἤλασαν ἵππους
Μυρόμενοι.
Hi autem ter circum cadaver pulcre-crinitos egerunt equos
Lugentes.

Et Q. Calaber in funere Achillis lib. III. Perioch. Homeric. verſ. 691.

Αλλ᾽ ὅτε δὴ περιπάσχυ πυρὴν διεκοσμήσαντο
Πεζοὶ ἅμ᾽ ἱππήεσσι, σὺν ἔντεσιν ἐρρώσαντο
Ἀμφὶ πυρὴν πολύδακρυ.

Quum

Quum itaque rogum ſatis ſuperque adornaſſent,
Pedites cum equitibus armati circumierunt
Pyram lacrimoſam.

Apollonius item Rhodius lib. I. Argon. verſ. 1059. de Cyzici Regis exſequiis agens:

αὐτὰρ ἔπειτα
Τρὶς περὶ χαλκείοις σὺν τεύχεσι δινηθέντες
Τύμβῳ ἐνεκτερέϊζαν ἐπειρήσαντό τ᾽ ἀέθλων
Ἧ θέμις, ἀμπεδίον Λειμώνιον.

eo exacto triduo
Ter cum armis aeneis bifariam regyrarunt,
Tumuloque facto & juſtis, tentarunt certamina
Ex more, in campo Limonio.

Vergilius vero lib. XI. Aeneid. verſ. 184. in funere Pallantis:

Jam pater Aeneas, jam curvo in litore Tarchon
Conſtituere pyras. Huc corpora quiſque ſuorum
More tulere patrum: ſubjectiſque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine caelum.
Ter circum accenſos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos: ter maeſtum funeris ignem
Luſtravere in equis ululatuſque ore dedere.

Quibus quidem ſimilia Romanorum etiam exempla non deſunt: ac primum apud Livium lib. XXV, cap. XVII., ubi Tiberii Gracchi mortem enarrans. *funeris quoque Gracchi*, inquit, *varia eſt fama; Alii in caſtris Romanis ſepultum ab ſuis, alii ab Annibale (& ea vulgatior fama eſt) tradunt in*

 veſti-

vestibulo Punicorum castrorum rogum exstructum esse. armatum exercitum decurrisse cum tripudiis Hispanorum, motibusque armorum, & corporum suae cuique genti assuetis: ipso Annibale omni rerum verborumque honore exsequias celebrante. Et Appian. Alex. lib. I. pag. 418. edition. Parisin. Henrici Stephani, ubi funeris Syllae descriptio habetur: τὸ δὲ λέχος, inquit, ὑποδύντες ἀπὸ τῆς βουλῆς ἄνδρες εὔρωστοι διεκόμιζον ἐς τὸ πεδίον τὸ Ἄρειον, ἔνθα βασιλεῖς θάπτονται μόνοι· καὶ τὸ πῦρ οἵ τε ἱππεῖς, καὶ ἡ στρατιὰ περιέδραμον, id est, *mox robusti aliquot senatores sublatam in humeros lecticam transtulerunt in Campum Martium, ubi solos Reges sepelire mos est: & circum rogum decurrerunt tum equites, tum reliquus exercitus.* Suetonius item in Claudio cap. I. *Ceterum*, ait, *exercitus honorarium ei* (Neroni Druso) *tumulum excitavit: circa quem deinceps stato die quotannis miles decurreret, Galliarumque civitates publice supplicarent.* Quibus Pedonem Albinovanum adjiciam in eleg. de morte ejusdem Neronis Drusi vers. 217.

Armataeque rogum celebrant de more cohortes,
Et pedes exsequias reddit equesque duci.
Te clamore vocant iterumque iterumque supremo,
At vox adversis collibus icta redit.

Et vers. 459.

Cingor Apollinea victricia tempora lauro,
Et sensi exsequias funeris ipse mei:

De-

Decursusque virum notos mihi.

Lex vero, quae hisce decursionibus servari solebat, ea erat, ut quasi maeroris indicio ad sinistram primum, deinde ad dextram, tanquam laeti hominis gratia, cursus in orbem flecteretur. Quod ita Statius explicat lib. VI. Thebaid. vers. 213.:

Tunc septem numero turmas (centenus ubique
Urget eques) versis ducunt insignibus ipsi
Grajugenae Reges, lustrantque ex more, sinistro
Orbe rogum, & stantes inclinant pulvere flammas.
Ter curvos urgere sinus illisaque telis
Tela sonant: quater horrendum pepulere fragorem
Arma, quater mollem famularum brachia planctum.
Semianimes alter pecudes, spirantiaque ignis
Accipit armenta. Hic luctus abolere, novique
Funeris auspicium, vates, quanquam omina sentit
Vera, jubet, dextri gyro, & vibrantibus hastis
Hac redeunt.

Atque eandem legem in decursionibus, quae in Campo Martio ad Imperatorum rogum habebantur, servatam omnino fuisse putari debet, utpote quae ad castrensium decursionum imitationem instruebantur. Has vero Herodianus lib. IV. ita graphice, ut solet, describit: *Ubi vero*, inquit, *ingens aro-*

aromatum acervus aggestus, ac locus omnis expletus: tunc circa aedificium illud adequitant, universis equestris ordinis certa quadam lege, ac recursu motuque Pyrrhichio, numeroque in orbem decurrentibus. Qui motus in decursionibus etiam, quae pro militari juvenum exercitatione fiebant, servatus ostenditur ab Agathia lib.II.: Ναρσῆς δὲ ἐξασκεῖν γε ἐπιπλεῖον αὐτοὺς ἐκέλευε τὰ πολέμια, καὶ ἐπερρώννυε τὸν θυμὸν τῇ καθημέραν μελέταις· ἐποχάζειν τε ἀναγκάζων, καὶ ὑπὲρ τῶν ἵππων ἐν κόσμῳ ἀναπάλλεσθαι, ἔς τε Πυῤῥίχην τινὰ ἐνόπλιον περιδινεῖσθαι: *Narses vero eos accurate ad res bellicas condocefieri jussit, animosque quotidiana exercitatione roborabat, in gyrum se versare cogens, agiliterque in equos insilire, & in modum armatae saltationis Pyrrhichae circumagi.*

Quod Dio propterea loco nuper allato has non *Urbanas* tantum, sed & *Pyrrhichias* appellet, ut ibi a Leunclavio legitur, non aliud quidem in caussa poterit excogitari, quam motus idem Pyrrhichius, qui in iisdem decursionibus haberi quoque solebat: οἵ τε ἱππεῖς, inquit Dio, οἱ στρατιῶται, καὶ οἱ πεζοὶ, περὶ τὴν πυρὰν, πολιτικάς τε ἅμα, καὶ πυῤῥιχίας διεξόδους διελίττοντες διεξῆλθον· εἶθ' οὕτως οἱ ὕπατοι πῦρ ἐπ' αὐτῇ ἐνέβαλον: *Hic confecere milites equites, atque pedites circum rogum in orbem decursiones urbanas, & Pyrrhichias: deinde Consules ignem rogo injecere.*

Pyrrhicha tamen pedestris saltatio erat, ut omnes

omnes passim sentiunt, a Pyrrho quodam apud scriptores incerto, qui primus illam instituit, sic dicta. Idcirco Suetonius in J. Caesare cap. XXXIX. *Pyrrhicham*, inquit, *saltaverunt Asiae Bithyniaeque Principum liberi*. Et Mercurialis in libro II. cap. VI. de Arte Gymnastica, *Pyrrhichias*, ait, *nostris temporibus aemulantur illa pugnarum genera, quas* Morescas *populari vocabulo appellant*: eandemque propterea armatam ob oculos ponit, qualem profecto & Graeci scriptores eam nobis descriptam prodiderunt. Pollux lib. IV. cap. XIII. πυῤῥίχη εἶδος ἐνόπλου ὀρχήσεως, *Pyrrhicha species armatae saltationis*: Et Aristophanis Scholiastes in Avibus: ἐνόπλιος ὄρχησις ἡ πυῤῥίχη, *armata saltatio Pyrrhicha*. Atque idem apud Hephaestionis Scholiastem de Pyrrhichio pede, aliosque, quos vide, si placet apud Meurs. de Saltationibus Veter. in verbo πυῤῥίχη.

Atque ideo ob eandem Pyrrhichii motus rationem aliud etiam his decursionibus quam simillimum ludi genus, quo pueri in Circo exercebantur, Pyrrhicha quandoque dicebatur. Unde ad illud Vergil. lib. v. Aeneid. vers. 602.

Trojaque nunc, pueri Trojanum dicitur agmen, haec habet Servius ex Suetonio in libro, ut ipse inquit, de puerorum lusibus: *Lusus ipse, quem vulgo Pyrrhicham appellant, Troja vocatur*. Ubi adnotare liceat, quod etiamsi decursiones, quae circa rogum per equites militesque fiebant, nihil pro-

pe-

pemodum a Troja differrent: usus tamen loquendi effecit, ut nonnisi decursiones illae a Romanis Trojae indigitarentur, quae per pueros plerunque nobiles inter ludos Circenses agitabantur. Quod tum ex Dione, tum ex Suetonio satis infra innotescit. Dio siquidem lib. xliii. τήν τε ἱππασίαν τὴν Τροίαν, inquit, καλουμένην οἱ παῖδες οἱ εὐπατρίδαι κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἐποιήσαντο· καὶ ἐφ' ἁρμάτων οἱ νεανίσκοι οἱ ὁμότιμοι αὐτοῖς ἡμιλλήσαντο. *Etiam Trojam antiquo more patriciorum filii luserunt: juvenesque qui dignitate aequales erant, curribus certaverunt*. Et libro xlviii.: *splendide omnia agebat* (Agrippa nimirum) *ludosque inter cetera equestres, seu Circenses*, ut Leunclavius legit, *biduo praebebat, & Trojam vocatum ludum per nobiles pueros magnifice exercebat*. Lib. item xlix. *Ludis autem, quos multos & omnis generis exhibuit, tanta usus est munificentia, ut pueros etiam, qui Trojam equestri certamine luderent, pretio conduxerit, ne quis sumptum faciendum haberet*. Et lib. li., ubi de consecratione templi J. Caesaris: *Porro in sacrarii consecratione ludi omnis generis facti sunt, patriciique pueri Trojam luserunt: virique simili ratione singulis equis celeribus, bigisque & quadrigis certaverunt*. Suetonius autem in J. Caesare cap. xxxix., ubi de Circensibus ab eo editis: *Trojam lusit turma duplex, majorum minorumque puerorum*. Sic & in Augusto cap. xliii. *Sed & Tro-*

jae

iae ludum edidit frequentissime, majorum minorumve puerorum delectu prisci decorique moris existimans, clarae stirpis indolem sic notescere; Et in Tiberio cap. VI. *Praesedit & Actiacis ludis, & Trojanis Circensibus ductor turmae puerorum majorum*. Tacitus item Annal. lib. XI. cap. XI. *Sedente Claudio Circensibus ludis, quum pueri nobiles equis ludricum Trojae inirent.*

Hujusmodi vero ludi auctorem Vergilius lib. V. Aeneid. vers. 596. Ascanium perhibet:

Hunc morem cursus, atque haec certamina primus
Ascanius, longam muris quum cingeret Albam
Rettulit, & priscos docuit celebrare Latinos.
Quo puer ipse modo, secum quo Troja pubes
Albani docuere suos: hinc maxima porro
Accepit Roma, & patrium servavit honorem.
Trojaque nunc, pueri Trojanum dicitur agmen.

Quocirca Ascanii forsan exemplo inde factum esse reor, ut qui huic ludo praeerat, juventutis, equestris nempe ordinis, princeps diceretur. Quod Caesarum, & praecipue Septimii Getae nummi declarant, in quibus princeps ipse juventutis dicitur, & modo tres, modo quinque figurae equestres decurrentes visuntur. Qui quidem honor post Cajum Augusti filium, quem Ovidius lib. I. de arte amandi vers. 193. ita alloquitur:

Tale rudimentum tanto sub nomine debes;
Nunc juvenum princeps, deinde future senum:

Et post Lucium Caesarem, & Germanicum, de quo idem Ovidius lib. II. de Ponto eleg. V. vers. 41.

Te juvenum princeps, cui dat Germania nomen,
Participem studiis Caesar habere solet:

(*Tiberius* nempe) reliquorum deinde Imperatorum filiis, qui heredes Imperii destinabantur, adhaesit.

Ut vero ad funebres nostras decursiones sermo redeat, moris etiam erat, ut in iis defunctorum Principum affines quoque decurrerent. De quo nobis idem Germanicus exemplo sit ex Tacito lib. II. Annal. cap. VII., qui ait: *Tumulum tamen nuper Varianis legionibus structum, & veterem aram Druso sitam disiecerant. restituit aram; honorique patris princeps ipse* (Germanicus) *cum legionibus decucurrit*. Quod item ex Dione habetur lib. LXXXVI. in Severo. *Post haec*, ait, *corpus ejus more militari effertur a militibus, imponiturque in rogum, honestatum militum & filiorum ipsius decursione*.

Hinc facile forsan erit, si quis insculptos decurrentium vultus velit hic singulos expendere, ut ipsos etiam Marcum & Lucium cum equitibus & legionariis decurrentes assequi valeat: tum potissimum quando studiosissimi & vere Romanarum antiquitatum reparatoris D. N. Clementis XI. Pont. Max. jussu fragmenta, quae plurima ad has decursiones spectantia circa monumentum ipsum reperta fuere, suis locis aeque apposita ac restituta videbimus.

Ego interim non minus quidem ocio, quam inge-

ingenio destitutus tum quae huc usque rudi Minerva sum persequutus, tum quae adhuc dicenda essent, politiori illorum stylo relinquam, qui eruditissimis doctissimisque lucubrationibus, quas propediem in hanc rem evulgaturos audio, ipse ubi defecerim, abunde supplebunt.

FINIS.

ADDENDA.

OPus dum typis premebatur, quaedam a nobis omiſſa animadvertimus: quae proinde hic addenda putavimus. Ea autem haec ſunt:

Pag. 25. lin. 8. poſt *quatuor millia*; adde: *Qui arma projecerant*, inquit, *ad millia tria, vel, ut alii, quatuor, in Campo Martio ad Ovilia publica coactos, immiſſis militibus triduo poſt jugulavit.* Ad quem locum Nicolaus Abramus in orat. Cic. pro Milone §. 42. num. 2. *Strabo*, ait, *libro eodem v. extremo quum hanc ipſam ſtragem deſcriberet, vocem* δημοσίαν *adjecit. quae vox ad villam potius, quam ad Septa refertur. neque enim quisquam hactenus repertus eſt, qui ad diſtinctionem privatorum Septa publica nominavit.*

Pag. eadem lin. 9. poſt *convenit*; adiice: *Sulla*, ait, *victor urbem intravit, qui in Villa publica non jam bello, ſed ipſa pace ſaeviens vii. millia peditum undecumque inermia non pugnando, ſed jubendo proſtravit.*

Ibidem lin. 13. poſt *declarat*; adde: *Poſtridie quum Senatum in aedem Bellonae convocaſſet, quaſi rationem aliquam redditurus, ſimulque eos, qui in bello capti erant, in Villam publicam convenire juſſiſſet, tanquam eos milites ſcripturus, hos quidem aliorum militum opera trucidavit. multique*

que adeo cives Romani, qui cum iis mixtim forte aderant, periere. Senatores vero accerbissima oratione alloquutus est: quum caedes captorum nihilominus ab eo fieret. quibus quidem proxime aedem Bellonae accumbentibus, ingens clamor ac gemitus, lamentaque ex Curia exaudiebantur adeo ut utrinque perturbarentur Patres conscripti. Proinde multi duplici molestia oppressi conditionem eorum, qui in Villa publica ceciderant, sibi optabant, ut tandem metu levarentur.

Pag. 28. lin. 23. post *Martius deinde campus fuit*; adde: Item lib.XXXVIII. cap.XXVIII. *Tiberis duodecies campum Martium planaque Urbis inundavit.*

Pag.81. lin.20. post *consignatum*; adde. De templis autem Romae eique simul decretis nummi etiam testantur: ubi ara, & epigraphe: ROM. ET. AVG.

Pag.89. lin.22. post *nuncupabatur*; adde: seu Procilla, ut in Thes. ejusdem Gruteri pag.DXCVII. 7.

Pag. 92. lin. 4. atque uno perpetuoque pentametro.

Pag.97.lin.5.post *consecratus*; adde: Atq;ideo Ludovicus Vives ad lib.I.cap.III.de Civit.Dei, ubi de Aenea: *Pius*, inquit, *in Deos, pius in patrem, pius in filium, quos omnes ex incendio eripuit. Est enim pietas officiosus erga Deos, patriam, parentes, sanguine conjunctos cultus, gratitudo denique iis, quibus debemus.*

Pag.

Pag. ead. lin. 24. post *Pii nomine ornavit*; adde: a quo Eutropius lib. VIII. cap. IV. minime dissentit; ubi ait: *Pius propter clementiam dictus est*.

Pag. 120. lin. 2. post *non equidem haesitabit*; adde: Immo apud Reinesium Class. III. 31. a Panormitanis M. Aurelius, Marci praenomine omisso, Antoninus Pius dicitur: Pius vero Antoninus tantum, ut patet infra:

IMP. CAES.
L. SEPTIMIO . SEVERO . PIO . PERTI.
AVG. PART. ADIABEN. ARABICO
P. M. TRIB. POT. XVIII. IMP. XII. COS. III.
P. P. PROCOS. V. IMP. CAES. DI
VI ANTONINI PII. GERMANICI
SARMATICI F. DIVI COMMODI
FRATRI. DIVI ANTONINI NEPO
TI . DIVI . ADRIANI PRONEPOTI.
DIVI TRAIANI PARTHICI ABN.
DIVI NERVAE. ADN. INDVLGEN
TISSIMO . AC CLEMENTISSIMO
PRINCIPI . NOSTRO
RESP. PANORMITAN.
P. SATVRI DONATI . ET
M. MARCI RVFFINI
D. D.

Pag. 129. lin. 26. post *sceptrum*; adde; Quod Phornutus in libro de Natura Deorum, ubi de Jove, con-


confirmat: τὸ δὲ σκῆπτρον, inquit, τῆς δυναστείας αὐτοῦ σύμβολόν ἐστι. *sceptrum autem* (quod manu gerit) *imperii ipsius symbolum est*.

Pag. 136. lin. 28. post *leuat*; lege: cum quo divinitatis hasta insignis, quam, ut videtur, laeva gerebat, Faustina ejus uxor una simul conspicitur.

Pag. 142. lin. 13. post *cum alia*; adde AETERNITAS; vel

Pag. 157. lin. 2. ante *Lex vero*; adde: & Dio in Augusto lib. LVI. *Postquam cadaver rogo in Campo Martio impositum fuit, primum omnes Pontifices rogum circumierunt; deinde equites tam qui militabant, quam alii, & ex urbano praesidio legionarii in orbem cursitarunt.*

ARGENTEUS L. Veri nummus, qui nondum rei nummariae scriptoribus fortasse innotuit, hisce diebus e terra erutus novam lucem adspexit. Quem a Francisco Ficoronio, in cujus manus pervenit, mecum amicissime communicatum, quum Antonini Pii consecrationem referat, propterea a suscepti operis argumento non alienum putavi, si orbi literario delineatum hic traderem.



In

In ejus priori parte L. Veri caput praefertur, illudque nudum, ut frequentius in nummis effingitur: ibique legitur: Imp. L. Avrel. Vervs. Avg.. In altera vero nudum itidem Antonini Pii caput visitur cum epigraphe: Divvs. Antoninvs. Quo fit, ut facile credam, cum capite M. Aurelii nummos hujusmodi in Antonini Pii consecratione obsignatos etiam fuisse, quos attamen nondum vidimus.

JOANNIS VIGNOLII

VETERES INSCRIPTIONES


ex quamplurimis, quae apud eundem extant,

SELECTAE.

JOANNIS VIGNOLII VETERUM INSCRIPTIONUM SELECTARUM

CLASSIS I.

Votivae.



INTER cetera, quae venerandam Antiquitatem commendant, veteres Inſcriptiones, quas & *Epigrammata* vocant, ſive illae marmori, ſive aeri inciſae occurrant, praeſtantiorem ſibi locum vindicare, qui quam utilis in ſcribendo illarum ſit uſus noverit, nequaquam inficiabitur. Has etenim veterum monumentorum animam, qua hominum rerumque praeteritarum memoria longaeva vita fruitur: reliqua vero illorum corpus dici poſſunt: quae ſi titulis inſcriptionibuſque deſtituta nobis exhibeantur, artificis tantummodo manum in

insculptis imaginibus laudabimus, quae quidem magis oculos, quam animum detinent, oblectantque. Porro Inscriptionibus varii Populorum, atque Urbium ritus, Magistratus, Artificum collegia: Familiarum nomina, & cognomina: Consulum series, & quicquid denique ad Historiam, & Chronologiam non modo; verumetiam ad reliquas facultates, ad rem praecipue militarem, & sacram, ad certam purioremque Latini Graecique sermonis elegantiam attinet, tuto nobis, ac citra omne erroris periculum innotescunt. Nam quanvis plurimi scriptores non desint, qui iisdem de rebus diserte copioseque tractarunt: quia tamen non omnia omnes assequi possumus, saepe idcirco evenit, ut vetustis Inscriptionibus consignata nova quaedam, nec prius nobis cognita in lucem proferantur: quibus modo emendare, modo scriptores ipsos supplere oporteat. Immo quum adeo nostrorum temporum severa ac rigida censura sit, nisi plurima eorum, quae literis sunt nobis tradita, quaeque vero minus similia videntur, his certissimis eruditorum lapidum testimoniis confirmarentur, in magna quaestione, ut fit, scriptorum fides perpetuo versaretur. Verumtamen, quod haec eadem ab antiquis etiam numismatibus haberi possint, haud sane diffiteor. Verum ea istorum est conditio, ut vel rubigine exesa saepe ad nos mutila ac depravata perveniant: vel si forte integra, atque incorrupta servata fuerint, adeo tamen concisa, & com-

& compendioſa epigraphe, ſicuti perexiguus illorum ambitus exigit, inſcribuntur, ut plerunque eruditorum animum fatigent potius, quam expleant.

Quot propterea laudibus proſequi nos debeamus Gruterum, Reineſium, & Fabrettum, quoſque ante illos veterum Inſcriptionum collectioni ſtuduerunt, Mazochium, & Apianum; tum Panvinium, ceteroſque, qui illas ab invidia temporum, hominumque ignavia vindicantes ſuis operibus inſeruerunt, nunquam ſatis poterit explicari. Ipſe vero quum quamplurima id genus monumenta tum ex agri Romani ruderibus pridem effoſſa, tum aliunde amicorum ope quaeſita collegerim, non ingratam rem facturum ſum arbitratus, ſi quae pauca ex iis ſelegi, publica nunc luce donarem, ac noſtrae huic Diſſertationi tanquam πάρεργον ſubderem, brevioribus, ubi par viſum eſt, obſervationibus additis. Ea vero in tres partes, ſeu claſſes diſtribuenda putavi: quarum I. Inſcriptiones continet, quas VOTIVAS dicimus: II. SEPULCRALES: III. VARIAS, quibus & CHRISTIANAS aliquot adjecimus.

Admonitus ſit lector velim, quoties aſteriſcus iſte * in Inſcriptionibus offenditur, illum lineae continuationem cum praecedenti denotare. ob anguſtiores nanque typorum formas, fieri non potuit, quin una eademque linea in duas interdum divideretur.

A Mi-

A Mithra igitur noſtrarum Inſcriptionum collectio initium deſumat: cujus ſacra in ſuppoſito marmore non in eleganter inſculpta viſuntur.



Votiva haec tabula, quae quatuor eſt fere palmos alta, lata vero octo in aedibus Columnenſibus adſervatur. Quum vero prope rudera Turris *Meſae*, de qua nos initio noſtrae Diſſertationis egimus, reperta ea fuerit, opinionem illorum egregie firmat, qui Turrim ipſam ad Solis templum ab Aureliano exſtructum, non ad Mulierum Senaculum, referunt. Praeter enim Solis Mithrae ſymbola, quae plurim a

rima haec refert, L. Domitii, Imperatoris nempe Aureliani, in ea fit mentio, qui cum T. Nonio Marcellino eidem templo praesidebat, atque una cum eodem tertium Consulatum gesserat anno U. C. MXXVII. a Parilibus, aerae Dionysianae 275.: quo anno Cassiodorus templum ipsum ab Aureliano conditum fuisse refert: *His Coss.*, inquit, *templum Soli Aurelianus aedificavit: Romam firmioribus muris vallat*. Ibi vero advertimus, non recte Marcellum pro Marcellino, & pro tertio Aureliani Consulatu secundum a Cassiodoro scribi. Primum namque cum Basso gessit anno aerae Christianae 271., secundum vero cum Capitolino anno 274., ut ex Fastis magis omnibus probatis satis superque liquet. Quod ad Mithram ejusque sacra attinet, quibus nostra haec tabula quammaxime nobilitata conspicitur, in iis non ita multum immorabimur; quum tam diserte docteque sit ea prosequutus illustrissimus Adriae Episcopus Philippus a Turre, quem ideo consulat lector. Id tantummodo subdam, quod quum Deus iste caput passim thiara, seu Prygio pileo adopertum in saxis exhibeat: apud nos tamen maximi moduli numisma Gordiani Pii a Tarsensibus percussum extat, in quo non pileo, sed radiato capite ornatus visitur. Quod ut oculis etiam pateat, illud delineatum producimus.

Nu-



Numiſma hoc autem eximiae quidem raritatis eſſe putamus. nuſquam enim rei nummariæ ſcriptores, & praeſertim apud Eminentiſſimum Noriſium occurrit, qui Diſſertat. IV. cap. I. de Anno & Epochis Syro-Maced. alios plurimos id genus Tarſenſium nummos ſub eodem praecipue Gordiano percuſſos recitat, quos in Regio ac ſplendidiſſimo, copioſiſſimoque MAGNI ETRURIAE DUCIS Cimeliarchio adſervantur. Literæ ſingulares Π. Π., quae in anteriori illius parte viſuntur Πατὴρ Πατρίδος *Pater Patriae* explicantur: quas poſterior exhibet A. M. K. Γ. B., a viris doctiſſimis pariter ſunt interpretatae, nempe Πρώτης Μητροπόλεος Κιλικίας Γράμματι Βȣλῆς *Primae Metropoleos Ciliciae Decreto Decurionum*, A quibus tamen Ioannes Vaillantius diſſentit in explicatione ſelectiorum numiſmatum illuſtriſſimi Abbatis Franciſci *de Camps* pag. 59., ubi quum jam in ambitu ipſorum numiſmatum *Metropoleos* nomen ſit expreſſum, ſiglam illam M. Μεγάλης *magnae*, Ciliciae nempe, interpretatur.

Romae.

Romae. Ex Museo olim Ciampini in basi marmorea.

PRO . SALVTE . ET
INCOLVMITATE
INDVLGENTISSIMORVM
DOMINORVM
MARCIO . LIB. PROC. SACRIS . EORVM
IVDICIIS . GRATVS
SILVANO . DEO . PRAESENTI
EFFIGIEM . LOCI . ORNATVM
RELIGIONEM . INSTITVIT
CONSECRAVITQVE
LIBENS . ANIMO

Exſcripſi.

Pro quorum Imperatorum ſalute Marcio, ſeu Marcius iſte Gratus Libertus, qui SACRIS . EORVM IVDICIIS . PROCVRATOR dicitur, Silvani effigiem poſuerit & conſecraverit, in obſcuro latet; quum nomina illorum marmor non explicet: nec ipſius Liberti cognomen in vetuſtioribus aliis monumentis ſeſe offerat. Neque vero ex INDVLGENTISSIMI titulo, quo iidem cohoneſtantur, Marcum, & Lucium Auguſtos, ſive alios in Imperio ſequioris aevi collegas intellexiſſe, auſerim ipſe affirmare; quandoquidem hujuſcemodi attributum aeque medii, atque inferioris Imperii temporibus Auguſtis Caeſaribus delatum videatur: quemadmodum ob-

ſervari poterit apud Gruterum pluribus in locis. Ibi ſiquidem pag. CCXLVIII. 8. Hadrianus; pag. CCLXXXIII. 8. Conſtantinus; & pag. CCLXXXVI. 2. Maximus INDVLGENTISSIMI. PRINCIPES dicuntur: pag. vero CXIV. 3. Septimius Severus; pag. CLVII. 1., & pag. CLXIV. 4. M. Antoninus Caracalla ejus filius DOMINI INDVLGENTISSIMI: uti etiam apud Reineſ. Claſſ. III. XXXI., & XXXII. idem Severus INDVLGENTISSIMVS. PRINCEPS, & Caracalla DOMINVS. INDVLGENTISSIMVS appellatur.

Deo Silvano, quem non pecudum tantum, ſed & hominum incolumitati praeſidere Romani credebant, aedes, arae, & ſtatuae erectae apud eundem Gruterum, Reineſium, & Fabrettum, in inſcriptione praeſertim Coloniae Piſaurenſis cap. VI. Inſcription. pag. 435, frequentiſſime occurrunt. Quo & alia inſcripta baſis attinet prope aedem S. Sixti in Via Appia nuper effoſſa, quae pariter ſignum, nempe ſtatuam cum baſi, Silvano poſitam indicat:

Romae.

Romae.



Ficoronius exſcripſit.

Deus iſte, quem tot attributis, quot videre licet apud eoſdem viros celebres, & Tomaſinum de Donariis cap. XXVI., ſuperſtitioſa & veſana gentilitas eſt proſequuta, hic SANCTISSIMVS, & in priori Ciampiniana baſi DEVS . PRAESENS dicitur, quaſi ſcilicet auxiliaris & propitius. Quo ſenſu Vergil. etiam lib. I. Georg. verſ. 10. Faunos appellat:

Et vos agreſtium praeſentia numina Fauni.

Ita Ovid. lib. V. Faſt. verſ. 135. de Diis Laribus intelligens:

Stant quoque pro nobis, & praeſunt moenibus Urbis,

Et sunt praesentes, auxiliumque ferunt.

Cicero item lib. IV. Tuscul. Quaestion. *Hercules*, ait, *tantus*, *&* *tam praesens Deus*.

Corae.

AEDEM . CASTORI . POLLVCI . DE . C. S.
* FACIENDAM . PEQ. SACR. COR.
MARCVS . CALVIVS . M. F. P. N.


Hanc Marsilio Cataldo Corano debemus, viro doctrina eruditioneque ornato, qui nobis illius copiam perhumaniter fecit. Cora vero, ad quam hic marmor spectat, vetustissimum quondam Volscorum oppidum fuit, a Dardano Trajano, ut ex Plinio libro III. cap. V., conditum: illudque Coloniam a Romanis postea deductum testatur Livius lib. II. cap. XVI. *Eodem anno*, inquit, *duae Coloniae Latinae*, *Pometia & Cora ad Auruncos deficiunt*. De cujus antiquitate Lucanus libro VII. vers. 392.

Fabula nomen erit. Gabios, Vejosque, Coramque
Pulvere vix tectae poterunt monstrare ruinae.

Atque idem quinque, vel sex millia passuum a Velitri distat, & vetus nomen retinens S. P. Q. R. ditioni paret. M. Calvius M. filius P. nepos, qui aedem Castori & Polluci faciendam curavit, sub Imperatore Claudio vixit, ut inscriptio altera prope

idem


idem oppidum olim reperta indicat, quae extat in Theſauro Gruteri pag. CCCLXXXIV. 3. Qua etiam docemur & ab eodem Claudio in ordinem Senatorium adlectum, & Papia tribu illum fuiſſe. Literae ſingulares, hoc eſt D E . C. S. *De Collegii Sententia* mihi ex Manutio interpraetantur. PEQ. SACR., id eſt, *pecunia ſacra*. Q. etenim pro C. ſaepius in vetuſtioribus ſuperioris aevi monumentis uſurpari ſolebat, ut non unum de hoc exemplum exhibet Gruterus, & praecipue pag. CCII., & CCV. Hujus praeterea aedis columnae quatuor, ut mihi idem Cataldus retulit, adhuc hodie ſuperſunt.



Haec

Haec Puteolis fuit pridem effossa, eanque una cum aliis, quae nunc Neapoli in hortis D. Antonii de Judice Principis Cellamarii studiose collectae adservantur, ab Joanne Vincentio Rondinello jam mihi superius in Dissertatione laudato exscriptam habui. Quæ porro quum nihil a nobis amplius exposcere videatur, ad alias idcirco deveniamus.

Romae. Apud DD. de Molaria.
In cippo.



Exscripsi.

Hic cippus, qui & marmoreus, in aedibus extat Joannis de Molaria viri inter Romanos equites ingenio & prudentia, rerumque agendarum usu non minus quidem spectabilis, quam inter Romanae Curiae Praelatos quos vocant, quum do-

doctrina, tum singulari vitae morumque innocentia & suavitate Petrus illius frater enitet: vir profecto longe majori laude dignus, atque eò potissimum quo tantum ab omni honorum ambitu abhorret, quantum ad illos vera solidaque virtute proxime accedit. Ex uno igitur ejusdem cippi latere inscriptio haec habetur: videturque non alius Deus iste tutelaris fuisse, quam Serapis. in altera enim facie ea extat Inscriptio, quam Reinesius prodiit Class. I. CCLIII., nempe:

SERAPI
CONSERVATORI

Quae vero, reliqua erant in hac parte, scalpro erasa omnino conspiciuntur.

Romae. In monte Caelio prope aedem S. Stephani rotundam Basis.

GENIO . SANCTO
CASTRORVM
PEREGRINORVM
AVR . ALEXANDER
. . ANALIGEARIVS
QVOD . PEREGRE
RESTITVTVS . VOVIT
(*sic*)
EDIL. CASTRORVM
LIBENS . SOLVIT

Ficoronius exscripsit.

Ca-

Caſtra peregrina domicilia quaedam erant, ſic dicta, quia ibi ex Auguſti inſtitutione peregrini milites hoſpitio excipiebantur. Haec vero in II. Urbis regione, hoc eſt, in monte Caelio fuiſſe Sex. Rufus, & P. Victor nos docent. Atque id etiam ex Ammiano Marcellino lib. XVI. cap. XII. ſatis fit manifeſtum: *Et diebus poſtea paucis*, inquit, *ductus* Chnodomarius Rex Alemannorum *ad comitatum Imperatoris*, *miſſuſque exinde Romam in Caſtris Peregrinis*, *quae in monte ſunt Caelio*, *morbo veterni conſumptus eſt*. In qua tamen ejuſdem Caelimontanae regionis parte fuerint, inter ſe Antiquarii diſſentiunt. Alii enim prope Lateranum, ubi aedes extat Sanctorum Quatuor Coronatorum ea collocant. Alii autem juxta aedem Sanctae Mariae in Dominica: qui Panvinium ſequi videntur, & rectius quidem. nam non tantum ex duabus inſcriptionibus in illius aedis area olim repertis, in quibus eorundem Caſtrorum fit mentio, ut apud ipſum Panvinium in lib. de Urbe Roma obſervare licet, ſed ex hac etiam noſtra non inde procul effoſſa, certiori conjectura id argui poteſt: quum Caſtrorum Genio poſita fuerit, qui praecipuum illorum locum, cui ille praeeſſe credebatur, deſignare videtur. Aurelius hic Alexander, qui iſtorum Caſtrorum Genio votum ſolvit, Aedilis dicitur, cujus munus erat, ne peregrini milites annona aliiſque rebus ad victum neceſſariis laborarent, ſedulo proſpicere.

Nea-

Neapoli.

EX. IMPERIO
GENI. ALOTIANI
LVARISTVS. SERVI
TOR. DEORVM. EX. VI
SO. LIB. AN.

Nicolaus Valletta exſcripſit.

Joſephus Valletta Neapolitanus bonarum literarum amantiſſimus, itemque ſtudioſiſſimus, cujus Bibliotheca ſelectioribus voluminibus referta jam viris eruditis innotuit, ingeniumque pereleganti opere, quod pro univerſa Philoſophiae hiſtoria typis nunc mandat, brevi etiam omnibus inclareſcet, Inſcriptiones aliaque multa antiquitatis monumenta ex Puteolanis potiſſimum ruderibus eruta collegit: mihique propterea Nicolaus Valletta illius ex filio nepos, juvenis eruditione atque humanitate inſignis, nonnulla earundem Inſcriptionum exemplaria detulit, ex quarum numero haec primum prodit, Sponio quidem digna, ut inter ignotorum atque obſcurorum Deorum aras collocaretur. Ex quo enim cognomen *Alotiani* iſti Genio attributum petam, ſane ignoro: quum nec locus, nec familia aliqua, unde derivari poſſit, mihi hactenus pateat. *Luariſtus* vero, qui ex ejuſdem Genii imperio, quod *Ex Viſo*, ſcilicet in ſomniis accepit, voto *libens annuit*, mihi Evari-

ſtus legitur. Facile enim fuit, ut *E*, duabus tranſverſis ſuperioribus lineis detritis, in *L* tranſiverit. Nuſquam praeterea aliquem ita cognominatum obſervo: Evariſtus autem non in Catalogo tantum Summorum Romanorum Pontificum, ubi ſanctiſſimus hujus nominis Pontifex, qui ſub Trajano ſedit, ſed in Theſauro etiam Gruteri habetur pag.DCCXCII.I. ubi:

EVARISTVS PVBLIC.
IVLIANVS

Atque obſervatione quidem digna eſſe videtur vox illa *Servitor*, quae in aliquibus tantum Chriſtianorum ſequioris aevi monumentis quandoque occurrit. Idcirco apud Aringhium libro II. cap. XXII. Romae Subterraneae legitur:

EVSTATHIVS HVMILIS PECCATOR
SERVITOR
B. MARCELLINI MARTYRIS

hoc eſt *Miniſter*.

Ibi-

Ibidem. Apud Januarium de Andrea.

IVSSV
IOVIS OPTIMI MAXIMI
DAMASCENI
SACERDOTES
M. NEMONIO M. F. PAL.
EVTYCHIANO
SACERDOTI. HONORATO
EQVO. PVBLICO. AB.
IMP. ANTONINO. AVG.
PIO. P. P.
ADLECTO. IN ORDINEM
DECVRION. PVTEOLANOR
AEDILI
M. NEMONIVS CALLISTVS. P.
SACERDOS. REMISSA
COLLATIONE

Jo. Vincentius Rondinellus exſcripſit.

Jovis Damaſceni cum eodem attributo *Optimi Maximi* mentio fit in alia veteri Inſcriptione, quae extat apud Gruterum pag.xx.2. Ita enim indigitatus

a Damasco Syriae urbe, in qua summo honore colebatur, eanque propterea Julianus epist. 24. τ̃ Διὸς πόλιν ἀληθῶς, idest *vere Jovis urbem* appellat. Istius igitur Jovis jussu Sacerdotes Puteolani, proque ipsis M. Nemonius Callistus Sacerdos, statuam posuerunt M. Nemonio Marci filio Eutychiano, *Pal.*, hoc est Palatina tribu, & *equo publico honorato*, scilicet in equestrem ordinem adscito. Ceterum quod hujusmodi Jovis aliorumve Deorum jussa spectat, ut in superiori Inscriptione exprimitur, *Ex Viso*, videlicet in somniis, vafri Sacerdotes se illa accepisse affirmabant. Unde apud Grut. pag. LX. 2.

VENERI. VIC
TRICI. PRIMA
MINVCIA. VISV
IVSSA. POSVIT

pag. vero LXX. 7., & pag. CXXX. 11. legitur *visu monitus*: pag. LXII. 9. *somno monita*; & pag. LXXX. 2. *somnio admonitus*.

Ibi-

Ibidem, in hortis Principis Cellamaris.

PRO SALVTE
IMP. CAESARIS TITI AELII
HADRIANI ANTONINI AVG. PII
* P. P. ET
M. AELI. AVRELI. CAESARIS N̄
GENIO. COLONIAE PVTEOLA-
* NORVM
CHRYSANTVS AVG. DISP. A
* FRVMENTO
PVTEOLIS ET OSTIS
L. D. DECVRIONVM PERMISSV.

Idem exſcripſit.

Baſis

Basis haec etiam Puteolis nuper effossa votum exhibet, quod *pro salute Imperatoris Antonini Pii*, & *M. Aurelii Caesaris N*, idest *nostri*, *Genio Coloniae Puteolanorum* solvit *Chrysantus Augusti Dispensator a frumento Puteolis*, *&* *Ostis*, hoc est Ostiis percelebri Latii urbe plurali numero, ac neutro genere prolata, uti etiam quum Graeci, tum Latini scriptores eandem usurpant. Strabo libro III. *Maximae onerariae naves Puteolos & Ostia, Romanorum navale, adpellunt.* Et lib. V. *Sequitur inde Antium ab Ostiis* CCLX. *stadiis dissitum.* Ammian. Marcell. lib. XIX. *Dum Tertullus apud Ostia in aede sacrificat Castrorum, tranquillitas mare mollivit.* Charisius vero Grammat. Instit. lib. II. *Ostia exitus fluminum in mare neutro genere semper pluraliter dicuntur. sed si urbem significare velis, singularem potius numerum observabis, uti Sallustius, quanvis etiam frequenter plurali numero urbem significat.* De quo plura qui cupit, Cluverium consulat lib. III. cap. III. Ital. antiq., unde haec exscerpsimus. Chrysanthus cum duplici adspiratione, & absque alio nomine, ac praenomine occurrit etiam in Thesauro Grut. pagina DCLIX. 9. Hunc vero patrem potius existimo Titi Anonii Bojonii, qui ut in alia inscriptione mihi superius in opere laudata pag. 51. & 89., & quam infra exhibebo, Chrysantius dicitur. Dispensator absolute positus in antiquis monumentis frequens est, tuncque pecuniarum domini dispensator, ejusque domus rationes

tiones curans intelligitur. Dispensator vero a frumento, quod ipse sciam, non alibi legitur: *a frumento* tantum dicitur apud eundem Gruterum pag. DXCII. 8. & DXCIII. 2., in familia tamen privata, & pag. ead. 9. *Cointus Augusti Libertus a frumento Ministrator* inscribitur, cujus munus idem mihi ac dispensatoris fuisse videtur. *L. Dat.* ideſt *Locus datus Decurionum permissu*. In quo praeterea honore Coloniae Puteolanorum Genius a suis sit habitus, antiqui lapides quamplurimi declarant apud Gruter. pag. CCXXVII. 5., Reines. class. I. num. 161. & 295. & Fabrett. cap. II. Inscript. pag. 77., ac praeter hanc aliae duae Inscriptiones Neapoli nuper repertae, quas mox infra dabimus. Quod ad Puteolos attinet etsi ex Livio constet lib. XXXIV. cap. XLVI. Coloniam deductam fuisse anno V. C. DLX. Africano, & Longo Coss., inde vero ab Augusto, ut ex Frontino, qui proinde Coloniam Augustam appellat; observamus tamen, quod nondum Coloniae, sed Civitatis tantum cognomento gaudebat. Extat siquidem apud Gruter. loco superius allato haec vetus inscriptio:

AVGVSTO . SACRVM
ET . GENIO . CIVITATIS
PVTE*olanae*.

Et pag. x. 2. haec alia legitur, qua corrigendi videntur tum Anonymus Norisianus, qui Marcellum Aruntio

Aruntio ejus collegae praeponit, tum reliqui Fasti Consulares, ubi non *C.* sed *M.* Claudius Marcellus inscribitur:

I. O. M.
ET LARIBVS. PVT. CIV
C. AR. FLAVIANVS. AED. CVR
CVM. BASI. ET. HYPOBASI
D. D.
DEDICATVM
L. ARVNTIO. ET
C. CLAVD. MARCELLO COSS.

Qui Consulatus ad annum pertinet V. C. DCCXXXII., qui sextus fuit post VI. Augusti Consulatum.

Quum inde vero non Civitatis amplius, sed Coloniae titulo insignita saepissime in saxis occurrat, ita propterea ab anno V.C. DCCCXIII. Nerone IV., & Cornelio Cosso Lentulo Coss. indigitari coepisse dicimus. Quod Tacitus declarat libro XIV. Annal. cap. XXVII. *At in Italia vetus Opidum Puteoli jus Coloniae, & cognomentum a Nerone adipiscuntur.* Non utique Coloniae Neronianae, ut in notis ad Frontinum Roberto Keuchenio videtur, sed jus, & cognomentum Coloniae a Nerone adipiscuntur; inde sequitur, quod aliud fuerit Coloniam esse, aliud jus & cognomentum Coloniae habere, ut recte Ferrettus ad hunc Taciti locum, ubi Lipsio, & Vertranio haesit aqua.

Ibi-

Ibidem.

SANCTISSIMO DEO
GENIO COLONIAE
PVTEOLANORVM
NEMONIA CALLISTE NEMONI
EVTYCHETIS CVM DVOBVS
(*sic*)
M. M. NEMONIS M. FILYS
EVTYCHIANO ET GEMELLIANO
FRATRIBVS SVIS ET
NEMONIA IANVARIA FILIA SVA
DONO DANT

Idem exſcripſit.

Hujus familiae Nemoniae, quae Genio Coloniae Puteolanorum votum perſolvit, mentio extat apud Reineſ. claſs. XIX. Inſcript. 7., in qua *Nemonia Ginge*; & apud Fabrett. Inſcriptionum cap. II. pag. 79., ubi *C. Nemonius* legitur. *Dono dant*, nempe ſtatuam, ut ea ipſa baſis indicat; in cujus dextro latere arbor, laurus nimirum, exprimitur, penes quem virgo quaedam tunicata, Clio fortaſſe laeva citharam trunco impoſitam, dextera plectrum, ut videtur, de more gerens.



In alio vero latere Victoria alata cernitur, quae laeva palmam gestat, dextera nudatum juvenem coronat, qui sinistra citharam tangit humi positam, dextera plectrum tenet, uti alia muliebris figura superius exhibita.



Ibidem.

SANCTISSIMO DEO
GENIO COLONIAE
PVTEOLANORVM
M. NEMONI M. FILI.
LVGVRINVS ET
SABINVS FELIX
DONO DANT

Exſcripſit idem.

En alii duo M. Nemonii filii, Lugurinus nempe, & Sabinus Felix. Nicolaus Valletta, qui harum Inſcriptionum exemplaria ad me pariter miſit, *Tugurinus* habet: ipſe tamen malo cum Rondinello *Lugurinus* legere. Praeterea baſis haec etiam in utroque latere anaglypha continet: in uno ſcilicet gryphum exhibet Apollini ſacrum.

In



In altero tripodem, *cui* ſerpens obvolvitur : ſupra vero avem, quae corvus videtur, poma eidem ſerpenti, Genio, ut reor, oblata depaſcens: atque ibidem etiam laurus adeſt, ut patet infra.



JOANNIS VIGNOLII VETERUM INSCRIPTIONUM SELECTARUM

CLASSIS II.

Sepulcrales.



ERUMTAMEN ad ſepulcrales Inſcriptiones jam prope accedam, quae licet parum, aut nihil a nobis obſervationis expoſcere videntur, utpote quae tritae atque intellectu faciles ſint; nihilominus eas prodere libeat: nam & ſimplices Inſcriptiones perſequi antiquitatis amatores minime dedecet. In iis ſiquidem vel quarundam familiarum nomina & cognomina non prius fortaſſe nobis oblata, vel variam orthographiae rationem, vel privatorum hominum officia, atque alia, quae plurimum eruditionem augent, quandoque inſpexiſſe juvabit.

Romae.

Romae.

D. M.
GEMELLINVS
VALERIANVS
PVBLICVS. ET.
VLPIA GRATA.
SEPTEMBRO.
VER. DVL. FEC.
B. M. QVI. VIXIT.
ANNIS. VII
MENS. VII
DIEBVS. XX

Exscripsi.

In vinea Moroni juxta Viam Appiam cum innumeris aliis Inscriptio haec reperta fuit hisce annis MDCCIII., & MDCCIV., e quibus aliquas, quae mox sequuntur, seligere visum est. *Ver. Dul. Fec. B. M.*, idest *Vernae dulcissimo fecit benemerenti*.

Ibidem.

D. M.
VLPIAE GRA
TAE
M. VLPIVS MARVL
LVS MATRI PIENTIS
SIMAE BENEMEREN
TI FECIT

Exscripsi.

Ibi-

Ibidem.

D. M.

M. BARBATIO
TITVLLO
OCTAVIA
FRATRI. PI
ENTISSIMO

Exſcripſi.

Ibidem.

D. M.

AVRELIVS. THRSA
(*ſic*)
CHOR. V. PRAE.
FECIT.
VIBIAE MAXIMINAE
BENE
MERENTI

Exſcripſi.

Thrſa, hoc eſt *Terſa*. Ita ſecunda vocalis per *H* graecum ſcripta occurrit apud Fabrettum cap. v. pag. 346. *Chor.*, ſcilicet *Cohortis*, priori *O* deficiente. *V. Prae.*, ideſt *quintae Praefectus*.

Ibidem.

D. M.

M. IVLIO. M. F. VOL

(*sic*)

ATTICO. PRAEFETTO. FRABVM.
IVLIA. ATTICILLA MATER. FECIT
INFELICISSIMA. FILIO. PIENTISSIMO
Q. VIXIT. ANNIS . . . . ET SIBI. ET
IVLIAE MOSCHIDI. ET
M. IVLIO APRO. ET
M. IVLIO. NICOSTRATO

Exſcripſi.

Vol., ideſt *Voltinia Tribu*. De Praefecto Fabrum, ſeu Fabrorum vide Roſin. lib. x. cap. VIII.

Ibidem.

D. M.

CINCIA. THALIVSA
FECIT. SIBI. ET
PATINIO. HERACLAE
CONIVGI. SVO. BENE
MERENTI. ET. SVIS
POSTERISQVE EORVM

Exſcripſi.

Ibi-

Ibidem.

D. M.

AVRELIA
MARCILLA. FECIT
DONATO. AVG. N.
BERNAE MARITO
BENE MERENTI.

Exſcripſi.

Bernae, hoc eſt *Vernae*, *B* pro *V*. De quo innumera apud Gruterum, & Reineſium, alioſque antiquarum Inſcriptionum collectores exempla habentur, ut eruditi norunt.

Ibidem.

D. M.

CORNELIAE M. F.
AVGE. V. A. III. M. X.
DIEB. XXVIII.
M. CORNELIVS
APOLLONIVS
ET. EVGILIA AVGE
PARENTES. FEC

Exſcripſi.

Ibidem:

D. M.

P. OCTAVI. KARI.
OCTAVI.
CORINTHIANVS
ET KARVS. PATRI
KARISSIMO. AD
(*sic*)
QVE. INCOPARA
BILI

Exscripsi.

Adque pro *atque* non infrequens in antiquis marmoribus, uti apud praenominatos celeberrimos viros patet.

Ibidem.

DIS. MANIBVS.

VARIAE. PRISCILLAE
HESPER. NYMPHIDIAE
CONIVGI. SVAE
BENE. MERENTI. FECIT
VIXIT. ANN. XXI

Exscripsi.

Ibi-

Ibidem.

D. M.

T. AEL. DIONISIVS
AVG. LIB. FECIT SEVIVO
ET AELIAE. CALLITICENI
(*sic*)
CONIVNGI. SANTISSIMAE
(*sic*) (*sic*)
CVM. QVEM. VIX. ANN. XXX. SEN.
(*sic*) (*sic*)
VLLA. QVERELIAE FEMINE
(*sic*)
INSOPARABILI. ET. AEL.
PERSEO. COLLIBERTO. ET. LIBER
(*sic*)
TIS. LIB. POSTERIQ. EORVM

Exſcripſi.

Aug. Lib., hoc eſt Imp. Antonini Pii Libertus, ut ex praenomine Titi, & ex adoptivo ipſius Imp. Aeliae familiae nomine facile arguitur. *Fecit ſe vivo*. Ita apud Gruter. pag. CCCCXVIII. 6. Reliqua, quae fabri inſcitiam redolent, ſatis eſt, me in ipſo epigrammate adnotaſſe.

Ibi-

Ibidem.

Nunc vero apud Marchionem Jeannem Felicem Abbatem.

D. M.

COCCEIA. HE
RAIS M. HEL
BIO. ABBATI
CONIVGI. B. M.
(*sic*)
CON QVEM. V. A. X.
M. IIII. D. V.

Exſcripſi.

Ibidem.

D. M.

T. AELIVS
EPAPHROD
ITVS. ET. AE
LIA. AMMI
AS. FECERVNT
CARISSIMO
FILIO. B. M. Q
VI VIXIT AN
III. D. XXII.

Exſcripſi.

Ibi-

Ibidem.

D. M.

(*sic*)
PONPONIAE. QVINTAE
Q. POMPONIVS
EMESES ET
POMPONIA SVCCESSA
FILIAE. DVLCISS. FECER
ET. SIBI. ET
SVIS

Exscripsi.

Ibidem.

D. M.
LIVIO. PHILETO
LIVIVS. RVFINVS
LIB. BENE. MER

Exscripsi.

Ibidem.

D. M.
HISOCHRYSO
P. AELIVS
ANTHVS
SER. B. M.
FECIT

Exscripsi.

Ser., idest *Servo*.

Ibi-

Ibidem.

D. M.

LVCCIAE REDEMPTAE VIXIT
ANNIS XXXXV.
N. CASSICIVS PHOEBVS FECIT
CONIVGI BENEMERENTI CVM QVA
VIXIT AN. XXXVIII. ET LIBERTIS LIBERTA
BVSQ. SVIS POSTERISQ. EORVM

Exſcripſi.

Ibidem.

D. M.

CALLISTO. ET SEVERAE
FILIS B. M. PARENTES
FEC. ALEXANDER. ET CAL
LISTRATE. CALLISTVS. V. A. IV.
SEVERA. ANNOS. X. MENS. VII.
ET.C.GALLONIO. ABASCANTO.FRATRI
ET. POSTERISQ. EORVM

Exſcripſi.

Ibidem.

D. M.

C. ACILI. EROTIS ET
ACILIAE. ROMANAE

Exſcripſi.

Ibi-

Ibidem.

D. M.
C. IVLIVS. ANTENAEVS
SIBI. ET. IVLIAE
PRIMITIVAE. CONI
VGI. KARISSIMAE
FECIT
VIX. ANNI. XXXV.
M. VI. D. XVIII.
ET. C. IVLIO. C. F. IVLIANO
VIX. ANN. XVII. D. VIII.

Exscripsi.

Ibidem.

D. M.
TI . CLAVDIO . AVG . L . EVTICHO
PAEDAG. PVERORVM
TI . CLAVDIVS . AVG . L . EVNETES
FRATRI. SVO. ET. T. FLAVIVS. AVG. L.
VENVSTVS . AB . AVRO. POTORIO
PAEDAGOGO . SVO . FECERVNT

Exscripsi.

In hoc marmore Imp. Ti. Claudii libertum Paedagogum puerorum Imp. T. Vespasiani Eutichum habemus, cui monumentum fecerunt Eunetes ejus frater, & Venustus unus ex iisdem pueris aulicis, auri potorii ministerio illustris. Inter privata domus

Augustae officia, qui argenti potorii, vascularii, & scaenici, auri escarii, & gemmati curam habebant, sese offerunt apud Gruterum, atque etiam apud Pignorium de Servis, & Gutherium de offic. domus Aug. lib. III. cap. XVI. Nullus vero, qui auro potorio praepositus esset, hucusque patuit; propterea singularis videtur lapis iste, qui in vinea Moroni effossus, in Museo Francisci Ficoronii alias mihi laudati adservatur. Ceterum praeter hunc, unum, & alterum T. Vespasiani puerorum Paedagogum, T. nempe Flavium Ganimedem, & Flavium Stephanum exhibet magnus Thesaurus Gruteri pag. DLXXXV. 7. & MCXI. 8.

Ibidem.

D. M. S.
SEIA. MVSA. FEVT *sic*. SIBI. ET
CN. NVMISIO. PRIMO
CONIVNGI. SVO. CARISSIMO
VIX. ANN. LXXV. M. III. D. XV.
ET. NVMISIAE. FILICITATI. FILIAE
PIENTISSIMAE. VIX. ANN. XVIII. M. X. D. XII.
ET. P. AELIO. IVLIANO. BENEMERENTI
ET. LIB. LIEERTABVSQ. SVIS. POSTERISQVE
EORVM

Exscripsi.

Feut pro *fecit*, fabrilis error. *Filicitati* pro *felicitati*. *I* siquidem in saxis pro *E* posita saepissime cernitur.

Ibi-

Ibidem.

D. M.

CALIDIAE
FAVSTINAE
VIXIT ANNIS XX.
IVLIA
FORTVNATA
FILIAE
PIENTISSIMAE. ET
TI. CLAVDIVS
ONESIMVS
CONIVGI
FECERVNT

Exscripsi.

Ibidem.

D. M.

C. FANNI. C. F.
HELLANICI
VIX. ANN. XLVIII. D. XI
NAEVIA TAVRINA
CONIVGI
BENEMERENTI

Exscripsi.

Ibidem.

D. M.

TVRELI. FVSCI
FL. TYRANNIS
CONIVGI
PIISSIMO. FEC.

Exscripsi.

Ibidem.

D. M.

M. ATILIVS. MAXIMVS
VETERANVS. AVG.
(a) NATIONE
OFFENTINA. MEDIOLAN
AETRIA. SECVNDA
CONIVGI. B. M. FC

Exscripsi.

Offentina, ideſt Ufentina, ſeu Ouſentina, quae inter Tribus trigeſima numeratur. De qua Feſtus de verb. ſignif. lib. XIII. *Ouſentina Tribus initio cauſſa fuit nomen fluminis Ouſens, quod eſt in agro Privernate inter Mare, & Terracinam.*

cinam. *Lucretius*, ſeu, ut placet Andreae Dacerio, *Lucilius*:

Priverno Ouſentina venit, fluvioque Ouſente.

Poſtea deinde a Cenſoribus alii quoque diverſarum civitatum eidem tribui ſunt adſcripti, Mediolanenſes praecipue, ut non ex hoc tantum, ſed ex aliis etiam vetuſtis lapidibus apparet. *B. M. FC.*, hoc eſt *Bene merenti fecit*.

Ibidem.

D. M.
Q. C I S S O N I O
P R I O R I . C O N I V G I
E T . V I V E N N I A E
D E C E M B R I D I . F . B . M . F .
I V L I A . H Y G I A . E T
S I B I . E T . S V I S
P O S T E R I S Q . E O R V M

Exſcripſi.

Ibidem.

D. M.
S E C V N D I N A E
C A R I S I V S
A D A V C T V S
C O N I V G I
B E M E M E R E N T I
F E C I T

Exſcripſi.

Ibi-

Ibidem.

D. M.

L. PETVRCIO
CARPO
ACILIA
MAXIMILLA
CONIVGI. B. M.
P. PAENIVS
ALEXANDER. FECIT

Exſcripſi.

Ibidem. In alio lapide.

D. M.

L. PETRVCCHIA
CARPO
ACILIA
MAXIMILLA
CONIVGI. B. M.
CARISSIMVS

Exſcripſi.

Ibi-

Ibidem, marmoreum urnae operculum.



Ibidem.

D. M.

C. OCTAVIO
PRIMO
VIX. M. V.
OCTAVIA
FAVSTINA
FILIO
DVLCISSIMO
FECIT

Exſcripſi.

Ibi-

Ibidem. In basi.

P. NOVI
PRIMIGENII
EVTYCHES
ET. SECVNDA
PATRONO. BENE
MERENTI. ET. SIBI
POSTERISQ. SVIS
IN. FR. P. VII. IN. AGR. P. X

Exscripsi.

Hoc est: *In fronte pedes septem*, scilicet latitudinis: *In agro pedes decem* longitudinis. Ita enim privati cujusque sepulcri spatium veteres declarabant. Propterea Horat. Serm. lib. I. Satyr. VIII. vers. 12.

Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Heic dabat, heredes monumentum ne sequeretur.

De quo Fabrett. Inscript. cap. III. pag. 176. Sequens tamen Inscriptio sepulcri longitudinem latitudinemque a frontis agrique mensura discriminare videtur.

Ibi-

Ibidem.

D. M.

C. OTACILIVS . CASTELLANVS . ET
* AVRELIA . THEAGENIA
VXOR. FECERVNT . SE VIVOS SIBI ET FILIS
* ET LIBERTIS
LIBERTABVSQVE POSTERISQVE . EORVM
IN AGRO PEDES XIII. IN FR. PED XI.
* LATVM
PEDS *sic* XXI. LONGVM PEDES XII.

Exscripsi.

Ibidem.

D. M.

L . L A B E R I O
A P O L L O N I O
N V M I D O R I A *sic*
F O R T V N A T A
FECIT . CONIVNGI . SVO
E T . M A X I M O . F I L I O

Exscripsi.

Ibidem.

S E M P R O N I A E
Ɔ. L. H E L E N A E


Exscripsi.

Ibidem.

C A S T O R
A G A T H O P V S
P A T E R F E C I T

Exſcripſi.

Ibidem.



Ibi-

Ibidem.

D. M.
L. PACVVI. EPAPHRODI
TIANI. ANNEA. TYCHE. CON
IVGI. BENE. MERENTI. ET. L. PA
CVVIVS. EPAPHRODITVS. ET.
L. PACVVIVS. RESTITVTVS. FILI
PATRI. PIENTISSIMO. FECERV
NT QVI VIX. ANN. LV. ET. SIBI
SVISQVE . LIBERTIS . LIBER
TABVSQVE . POSTERISQVE.
EORVM

Exſcripſi.

Ibidem.

D. M.
FIRMAE
OVINIORVM (*ſic*)
CONIVGI. BENÆ
MERENTI. FECIT
OVINIVS
THAMYRVS

Exſcripſi.

Ibidem.

ANTISTI . HILARI . POSVIT
CINCIA . PRIMA CONIVGI
SVO CARISSIMO . ET SIBI

Exſcripſi.

Ibidem.

Q. TITIVS
EROS. HIC

Ibidem.

D. M.
CN. TVCCIO. EVANTH. F
PERMISSV

Exscripsi.

Ibidem.

D M
C. VEHILIVS
PERPETVVS
C. VEHILIO
PRISCIANO
PATRI. BENE. ME
RENTI. Q. V. A. LIX
ET LIBERTI. PA
TRONO. BENE. ME
RENTI. ASCIE. PI
VS. ET. EVTYCHES

Exscripsi.

Ibidem.

D: M: S:
P. MESSIO GAVDIO
MESSIA. EXOCHE
CONIVGI CARISSI
MO

Exscripsi,

Ibi-

Ibidem. In basi.

M'. FVLVIO. DIO
MEDI. FECIT
FVLVIA. CATELLIS
FILIO. DVLCISSI
MO. QVI. VIXIT
ANNOS. VII. MEN
V. DIEB. XIIII. HOR
III. LIB. LIBERTA
BVSQVE. POSTE
RISQVE. EIVS

Exscripsi.

M'., hoc est *Manio*, ut Manutio, & Ursato placet.

Ibidem.

A C C I M N E
EVPOLIS FRATRI
SVO B. M. F.

Exscripsi.

Ibi-

Ibidem.

D. M.

I V L I A E C. F.
S I N E G O R I D I
V I X. A N N. X V I I I I.
C. I V L I V S
A G A T O P V S
P A T E R
P I E N T I S S I M A E
F I L I A E. F E C I T

Exſcripſi.

Ibidem.

D. M.

A T T I A E
S C Y R E N E S
L. A T T I V S
E V T Y C H V S
A V O S. F E C.
V I X. A N N I S
X V I.

Exſcripſi.

Avos, nempe *Avus*. *O* pro *V* adhibita, ut ſaepiſſime occurrit.

Ibi-

Ibidem.

D. M.

C. ACILI. EROTIS. ET
ACILIAE. ROMANAE

(*sic*)
QVAMVIS. INSCRIPTVM. FERALI. CARMINE. SAXS*um*
SAEPE. LEGAS. NOSTRO. NIL. PVTO. FLEBILIVS
SISTE. GRADVM. PARVAMQVE. MORAM. CONCEDE. VIAT*or*
ASPICIES. QVANTAS. LIQVERIMVS. LACRIMAS
VNA. FORTE. DIE. DVPLICI. NOS. PONDERE. MATER
EDIDIT. HEV. SIMILES. HEV. MALE. DISSIMILES
*In*VIDA. BIS. DENOS. LACHESIS. CONCESSERAT. ANNOS
NONDVM. ALIO. PLENO. QVOD. DEDERAT. RAPVIT
*No*MINE. ACILIANVS. QVO. NOMINE. NVNC. SOROR. OR*ba est*
*V*IVAT. ET. A. FATIS. SIT. PROCVL. VSQVE. MEIS
... ADVC. *sic* MISERO. QVOD. ERIT. MIS.......

Reliqua cum marmore desiderantur.
Exscripsi.

Ibi-

Ibidem.

P. ATTIVS | *Columna.* | ATTIA PL
P. L | | SECVNDA
NEREVS

Exscripsi.

Ibidem.

D. M.

(*sic*)
AGATE. MATERIDI
LVCCEIA. AELPIS
ET. CALPVRNIVS
SOZOMENVS
FILIAE. PIENTIS
SIMAE. Q. VIXI. *sic*
ANN. VIII. MS. *sic* V.

Exscripsi.

Ibidem.

MEMORIAE. CORNE
LIAE. MVSAE. CLIENTI
CARISSIMAE. PIISSIMAE
FEMINAE. QVAE VIXIT
ANN. XVIII. M. VIIII. D.
XVIIII. VERVS EVOC. AVG.

Exscripsi.

Ibi-

Ibidem. In lapide Tiburtino.

OSSVA
(*sic*)
P. CLODDJ. ↃL
IRENAE. HIC
SITA. SVNT

Exſcripſi.

Oſſua pro *Oſſa*. Ita in Theſ. Grut. pag. DLXXV. 3., & pag. DCCCLXXV. 3. *Cloddj*, D abundat. ↃL, *Cajae* nempe *Liberti*.

Ibidem.

D. M.
PLOTIAE. ARESCVSAE
M. VERGILIANVS. SVCCESSVS
VXORI. PIENTISSIMAE
ET. DE. SE. BENE. MERITAE
CVM. QVA. VIX. ANNIS. XL
FECIT. ET. SIBI. ET. SVIS
LIB. LIB. POSTERISQ. EORVM

Exſcripſi.

 Ibi-

Ibidem.

D. M.

C. IVLIVS. TROPHI
MVS
IVLIAE. ROMVLAE
FILIAE. VIXIT. ANNO
VNO. MENS. IIII. DIEB. XII

Exſcripſi.

Ibidem.

L. PACVVIVS
NARCISSIANVS
OPICERNIAE. PRIMIGENIAE
CVM. QVA. VIXIT. ANNIS. XVII. COIVGI
BENE. MERENTI
KAI. ωΔЄ. ΔЄIMЄ. ΠOTЄ. ЄΛΘЄIN

Exſcripſi.

Ibidem.

D. M.
MVNATIAE
FESTAE
P. CLODIVS
FESTVS. MATRI
SVAE. F. B. M

Exſcripſi.

Ibi-

Ibidem.

D I S. M A N I B
M V C I A. V E N E R I A
F E C I T. C O N I V G I
S V O. C. I V L I O
S E V E R O. B E N E
M E R E N T I

Exſcripſi.

Ibidem.

D. M. S.
O. CINCIO. IANVARIO. T
T. B. M. FECIT. T
B. CINCIVS PROCVLVS. I
C. P A T R O N V S. S

Exſcripſi.

Quid literae ſingulares denotent in hoc lapide hinc inde poſitae, eruditi viderint.

Ibidem.

A V F I D I A E. E P
T E V X I S. T. F L A V I
V S. H E R M E S
T I. C L A V D I V S. H
E R M E S. T V T O R
B. M. F E C E R V N T

Exſcripſi.

Ibidem.

D. M.

HOSPITI SOTE

RI *Hic foramen pro liquoribus.* CHVS

FRATRI. B. M

FECIT

Exſcripſi.

Ibidem.

D. M.

IVLIAE. C. FILIAE
VERAE. VIXIT
(*ſic*)
ANNO. XVIIII
C. IVLIVS. ANTEN
PATER. PIENTISSI
MAE. FILIAE
FECIT

Exſcripſi.

Ibi-

Ibidem. In parvo cippo.
In fronte

D. M.

A M P E
L I D I

In latere dextro

V I X I T

A tergo

A N N.

In latere ſiniſtro

X X

Exſcripſi.

Ibidem.

. . . . A E S V C C E S S A E
VIX. AN. XXXIV. M. I. D. X
T I T I A E E V T Y C H I A E
VIX. AN. XII. M. III. D. VIIII
T I T I O A G A T H O P O
C Y R I O V I X A N VIIII.
M I I I D X X V A G A T H
O P V S C O N I V G I
C A S T I S S I M A E E T
F I L I S D V L C I S S I
M I S. F E C I T

Exſcripſi.

. . . . AE, ideſt *Titiae*, gentile, ut ex ejus filiis deducitur, mariti nomen.

Ibi-

Ibidem.

L. NVMITORIVS
PRIVATVS. FECIT. FIL
IS. SVIS. EVRISO. V. A. V. D. X
HERVSINI. VIX. A. II. D. V
FELICI. V. A. VII. D. XX
ASELLO. VIX. D. XL
CLEMENTI. VIX. A. II. D. XXX
LARVS. V. A. II. D. V

Exſcripſi.

Ibidem.

D. M.

M. VLPIVS
GALLIO. ET
AELIA. SATVRNINA
PARENTES
FECERVNT
M. VLPIO
VICTORINO
FILIO. DVLCISSIMO
QVI. VIXIT. ANN. XI
MENSIBVS. VII

Exſcripſi.

Ibi-

Ibidem.

D. M.

CLAVDIAE
APHRODISIAE
VLPIVS. NARCISSVS
CONIVGI. BENE
MERENTI. FECIT
CVM. QVA. VIXIT
ANNIS. XXXVI
(*sic*)
SINE. QVERELLA

Exscripsi.

Ibidem.

D. M.

FORTVNATA
MATER. FILI
(*sic*)
AE. ET. FRATR
EIVS. T. EVPLI
AE. BENE. ME
RENTI. FECE
RVNT

Exscripsi.

Ibi-

Ibidem.

D I S. M A N I B
C L A V D I A
H E L P I S
V E N E R I A E V E R N
S V A E. K A R I S S I M
V. A. X. M. V. D. X X V

Exſcripſi.

Ibidem.

D I S M A N I B

Hic quinque foramina pro liquoribus.

P R I V A T O

Exſcripſi.

Ibidem.

D. M.

M. T H V R I V S
G R A P T V S
F E C I T. S I B I. E T
S V I S. E T. L. S E D I O

Exſcripſi.

Ibi-

Ibidem.

D. M.
L. MINDIVS STRENION
COMMVNI CONIVGI
KARISSIMAE ET
SIBI

Exſcripſi.

Ibidem.

VISIDIAE
MAXIMILIAE. F.
TI. ΚΑ. ΟΨΙΜω ΑΠΕΛ
ΚΑΙC. ΤΙ. ΚΑ. ΒΕΙΤΑΛΙΟC.
ΘΡΕΨΑΝΤΙ. ΑΞΠω
ΕΠΟΙΗCΕΝ
Θ. ΚΑΤ
ΚΛΑΥΔΙΑ
ΘΑΛΛΟΥCΗ
ΜΗΤΡΙ
ΕΝΤΕΙΜω
ΤΙΒ. ΚΛ
ΟΥΤΑΛΙΟC
ΥΙΟC
ΕΠΟΙCΙ *sic*

Exſcripſi.

ΑΠΕΛ. ΚΑΙC. ideſt ΑΠΕΛευθερῷ ΚΑΙCαρος *Liberto Caeſaris.*

Ibidem.

D. M.

I V L I A E
E V T Y C H I A E
VIXIT. ANNIS. XVIIII.
A A V L I V S *sic*. C E R D O
L I B E R T A E. B E N E
M E R E N T I
P O S V I T

Exscripsi.

A A geminatum pro A simplici. De quo non unum exemplum extat apud Gruterum: ubi praesertim A longum occurrit.

Ibidem.

D. M.

A T R O M A E
A N T H V S A E
L. A T I N I V S
E V T Y C H V S
C O N T V B E R N A L I
BENEMERENTI. FECIT
ET. SIBI. ET. Q. CECILIO
PHILET. ET. POSTERIS
Q V E. S V I S

Exscripsi.

Ibidem, apud Franciſcum Ficoronium.

L. CESTIVS. L. L. CESTI SARA

MENIPPVS CESTI HELICO

L. CESTIVS. L. L. L. CESTI. L. L. APHRODISI

SASAS CESTI (ſic) MENODOTI

L. CESTIVS. L. L.

NICEPHOR.

L. CESTIVS. L. L. THOAS IN. FR. P. VS

CESTIA. L. L. ACTE IN. AGR. P. XII

Exſcripſi.

Ibidem.

D. M.

V O L V M N I A E
D Y N A M I D I
V O L V M N I A
C E P R O C L A
N V T R I C I
A S S A E . E T
L I B . V . A . C V

Exſcripſi.

Notabilis eſt annus, ad quem anus iſta Volumnia pervenit.

Ibidem.

D I S . M A N I B V S
Q. P O M P O N I . C L A D I
PETILLIA. CLYMENE. FECIT
SIBI. POSTERISQVE. SVIS
IN. FR. P. XII. IN. AG. P. XII.

Ficoronius exſcripſit.

Ibi-

Ibidem.

ALCIMIADES
RVSTICVS
MINICIANVS
V. A. XXXV.
VALERIA TOSIME
CONIVGI BM. F.

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D M
FELICLA
V. A. VI. M. VIIII.
SEX. NVMITO
RIVS LICINVS
PAT. FE.

Exſcripſit idem.

Ibidem.

Caput puerile, & duae manus decuſſatim poſitae hic ſunt inſculptae.

D. M.
TIMOTHEAE
M. VLPIVS
NICANOR
VERNAE
SVAE. F
SOL TIBI COMMENDO
QVI MANVS INTVLIT EI.

Idem exſcripſit.

Ibi-

Ibidem. In cippo.

Ex uno latere.

D M

VALERIAE
SABBATHIDI
P. AELIVS
HERON

Ex altero.

D M

SACRVM
OSCIA. IRENE
PIA. VIXIT. AN
XXX. D. XX. POR
TVMIVS POLY
TIMVS VXORI
PIENTISSIMAE
FECIT HSE
OIBQ. TLIS

Exſcripſit idem.

HSEOIBQ. TLIS, nempe: *Hic ſita eſt omnibus titulis.*

Ibi-

Ibidem.

D M

L. PACVVIVS RES
TITVTVS. ET
CASSIA SPICVLA
FECERVNT SIBI ET
SVIS LIBERTIS
LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE
EORVM

Exſcripſit idem.

Ibidem.

CINERIBVS
AGATHERIDI

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D. M.

P. AELIO
VRBANO
HERMA
FRATRI
B. M. FECIT

Exſcripſit idem.

Ibi-

Ibidem.

L. CORNELIVS FELIX
DONATAE VERNAE
SVAE FECIT TITVLVM
LOCO EMPTO
QVAE VIXIT
ANN. VIIII.

Exſcripſit idem.

Titulus pro ſepulcro, ut paſſim, hic ſumitur. Idcirco Juvenal. ſat. VIII. verſ. 68.

Ergo, ut miremur te, non tua; primum aliquid da,
Quod poſſim titulis incidere praeter honores,
Quod illis damus, & dedimus, quibus omnia de-
[bes.

Ibidem.


D M

TI CLAVDIO
EPITROPO VIX
ANN. VII. MENS
IIII. DIE. XVII. MAG
NA FILIO DVLCIS
SIMO FEC

Exſcripſit idem.

Ibi-

Ibidem. In basi.



D M

NEVIAE L. F.
HERMIO
NE QVAE VI
XIT ANN XXII
MENS. VIIII. L. TV
TICASIVS FIRMVS
CONIVGI BENEM.
FECIT

Exscripsit idem.

Ibidem.

D M
T. MINISIO HILARIANO
VIXIT. A. VIII. M. XI
T. MINISIVS. LONGINVS
ET. CLAVDIA HILAR*iana*
PARENTES. FECERVNT

Exscripsit idem.

Ibidem.

SOMNO AETERNALI
T. AVRELIVS
STEPHANVS SIBI
VIBVS FECIT ET
SECVNDAE CONIVGI
SVAE SANCTISSIMAE
ET FILIS SVIS. ET COGNATIS
(*sic*)
BASSAEE MANILIAE SECVNDAE
FILIAE DVLCISSIMAE
Q. V. A. II. M. X. D. VII.

Exscripsit idem.

Ibidem.

DIS MANIBVS

DIVPPANEVS. QVI
EVPREPES. STERISSAE F
DACVS. V. A. XVIII
OPTVMVS SANCTISSIMVS
PIENTISSIMVS FIDELISSIMVS
SVB HOC TITVLO SITVS EST
P. ATILIVS PHILETVS
KARISSIMO SVO B M FECIT

Exscripsit idem.

Ibi-

Ibidem.

D M

M ATILIVS
CERIALIS
VIX. ANN
XIIII. MENS
VIIII. D. XIII
FILIO
BENEMERENTI

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D. M.

MANLIAE IVNIAE
FILIAE DVLCIS
(*ſic*)
SIMAE. QVE VIXIT
ANNIS VII. MENS. III
DIEB. XX. FELICISSI
MVS PATER FECIT
EVTYCHES PATR
ONVS B. M. F

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D M

SILIAE. VENVSTAE
LICINIVS ONESIMVS
(*sic*)
CONIVGI SANCTISSIME
FECI. CVM QVA VIX. AN XL.

Exscripsit idem.

Ibidem.

D M

M. TITIVS. CHRESIMVS
FECIT. SIBI. ET AFINIAE
TROPHIME COIVGI SVAE
BENEMERENTI. ET MAXIMIL
LAE. FILIAE. EIVS ET LIBERTIS
LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM
IN FRONTE PEDES. IIII. IN. AGR. P. VI S

Exscripsit idem.

Ibidem.

SVLPICIA FAVSTA
SALVILLI MATER

Exscripsit idem.

Ibi-

Ibidem.

D M S

S E X . I V N I O
O N E S I M O
I V N I A M E R O P E
C O N I V G I . B E N E
M E R E N T I
F E C I T

Exscripsit idem.

Ibidem.

P A C T V M E I A. D. L
V R B A N A. S I B I. E T
D. P A C T V M E I O. D. L. S T R A B O N I
P A T R O N O S V O

Exscripsit idem.

Ibidem.

D M.
R V S T I O
H Y L A E V I
X I T A N N. V I.
M E N T R E S
R V S T I A M A T
F I L I O. P I I S S. F E C.

Exscripsit idem.

Ibi-

Ibidem.

D M

VERGILIA CELSA
M. VERGILIVS ROMAN
M VERGILIVS EVPHEMV
VERGILIA. HELICE
VERGILIA. TRIPHENA
FECERVNT SIBI
ET POSTERISQ. SVIS

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D I S. M

L. ATINIVS. DIADVMENIVS
ATINIAE PRIMAE
LIBERTAE ITEM VXORI

Foramina pro liquoribus.

ET L. ATINIO DIADVMENO
FILIO. ET ATINIAE PRISCILLAE
FILIAE DVLCISSIMIS
SIBI ET POSTERISQVE SVIS

Exſcripſit idem.

Ibi-

Ibidem.

D M

T V R R A N I A E
P A E Z V S A E . F
S E X T V S *Foramina pro liquoribus.* A V O N I V S
E P A P H R O D I T V S
C O N I V S V A E
B M

Exſcripſit idem.

Ibidem.

I V L I A
A M A N D A V. A. X X X.

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D I S M A N

P R I V A T A E
F L A V I A H E L P
F. C. V. A. V I I.

Exſcripſit idem.

F. C. hoc eſt, *Fieri curavit.*

Ibi-

Ibidem.

D M

POMPONIVS
ARTEMIDORVS
POMPONIAE
FELICITATI COIVGI
BENEMERENTI FECIT

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D. M.

T. STATILIVS. EVCRATES
FECIT SIBI. ET
SVIS. LIBERTIS LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE EORVM
ET. HERMEO

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D. M.
PIPIDIA. HELPIS
FECIT. PIPIDIAE
SECVNDAE. LIBER
PIENTISSIMAE

Exſcripſit idem.

Ibi-

Ibidem.

D M

M. AVREL. ANNIO
NEPOTI
QVI. VIXIT ANN
XXIX. M VIIII. D. XI

AVRELIA SABINA COIVGI
INCOMPARABILI
FECIT

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D. M

TI. CLAVDIO EVTY
CHIANO ALVMNO DVL
CISSIMO. Q. V. A. VII. M.
VI. IVLIVS EVTYCHES
ET CLAVDIA FILETE
PARENTES PIENTIS
SIMI. FECERVNT

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D M

PVBLICIA HYGIA
FECIT SIBI. ET PVBLICI
(*sic*)
AE. DONATE. FIL
CARISSIMAE

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D M

VLPIAE LAVDICE
VIX. AN. XXIIII. M. VII. D. III.
M. VLPIVS AVG LIB
ONESIMVS ET VLPIA
NICE. FILIAE PIENTISSIM

Exſcripſit idem.

Ibidem.

IANVARIAE
SORORI KARIS
SIMAE
PORCIA PAVLLI
NA FECIT

Exſcripſit idem.

Ibi-

Ibidem.

D. M.

C. SEPTIMIO DECIANO
QVI VIXIT ANNIS
XXXIII. MENSIBVS XI
DIEBVS XVII. H. X
RVFINA VXOR
B M. FECIT.

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D M

ARRIAE ONFALE
L ARRIVS FARVSE
TI CLAVDIVS STAFYLVS
CONIVGI B. M. FECERVNT
LIB. LIBERTABVS POSTERISQ.
DONATIO DATA PARTIS DIMIDIAE
L MVMIO FORTVNATO.

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D. M.

VISELLIAE. HYGHIAE
Q. VETILIVS RVFVS
CONIVGI. B. M. DE SE
FECIT. V. A. XXIV. M XI
D. XXIV. H. S. E

Exscripsit idem.

Ibidem.

D M
NYMPHIDIAE
VIXIT ANNIS II
MENSIBVS V
NYMPHIDIVS
PATER FECIT

Exscripsit idem.

Ibidem.

D M
C. CALLISTVS. ET SILVA
NA. CAESARIS. N
SILVANO. FILIO PIISSI
MO. FECERVNT. V. A
VI. M. V. D. XI. IN F. P. III. IN A. P. III.

Exscripsit idem.

Ibi-

Ibidem.

D M

Q. CRANIO AELI
ANO Q. ET GENTI
LIS Q. VIX. AN. III
M. II. D. XII. Q.
CRANIVS SCY
MNVS ALVMNO
B M

Exſcripſit idem.

Ibidem.

DIS MAN

TRIVMPHALI

V. AN NO. I

Foramina pro liquoribus.

M. VIII DXIIX

TI. CLAVDIVS MAGNVS

VERNAE. KARISSIMO F

Idem exſcripſit.

Ibi-

Ibidem.

D. M.

VLPIAE: FELICIS
SIMAE. QVAE VI
XIT. ANNIS. XIIII
MENSIBVS. XI.
DIEBVS. III. M. VL
PIVS. MARVLLVS
LIBERTAE. ET CON
IVGI. DVLCISSI
MAE. BENEMEREN
TI. FECIT

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D. M.

DECIDIAE
LASCIVAE
PATER. FEC.
V. A. VI. M. II

Exſcripſit idem.

Ibi-

Ibidem.

DIS MANIBVS

T FLAVIVS MARINVS
P. VALERIO MARINO
FILIO SVO VIXIT
ANNIS . III . MENS . VII . D . VIIII

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D. M.

HERENVLEIAE
ACANTHIDIS
HERENVLEIA
PRIMITIBA

Exſcripſit idem.

Primitiba B pro V, ut non raro a veteribus in uſu eſt.

Ibidem.

PRIMIGENIA. RHODINI
V. A. XXX. DONATA. F. EIVS V. A. I
ZOSIMVS. ET TROPHIMVS
CONIVGI. BENEMERENT. ET. FIL.

Exſcripſit idem.

Ibi-

Ibidem.

DIS MANIBVS

L. LVCRETIO
MARTIALI
FECIT
SVETTIA PSYCHE
CONIVGI SVO
OPTIMO ET
BENEMERENTI
QVI VIXIT ANNIS. L.
LOCVS EMPTVS
QVOQVO VERSV. P X
SIBI POSTERISQVE SVIS

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D. M. S

A. FLAVIO THEOPHILIA
NO. FEC. FLAVIA SECVN
DA. FILIO. PIENTISSI. B. M.
V. A. XVIIII. M. VIII. D. X. ET. SIBI
ET SVIS LIB. LIBERTABVSQ
POSTERISQVE EORVM

Exſcripſit idem.

Ibi-

Ibidem.

D M. VETVRIAE
GEMI *Sex fora-* NAE
APEL *mina.* LES
L. PATRONAE
B. M. FEC

Exscripsit idem.

Ibidem.

D M

EVTYCHIAE
VERNAE
VIX. ANN.
VI.

Exscripsit idem.

Ibidem.

D M
PASSIENAE S
ACMES. FECERVNT
L. PASSINVS CRIS
PVS. ET. PASSIENA
SABINA. FILI. MAT
BENE. MERENTI

Exscripsit idem.

Ibidem.

*L. Pasʃ*IENVS EROS FECIT SIBI ET
*Paʃs*IENO L. F. MAGNO FILIO SVO ET
*Paʃʃie*NAE L. F. QVARTILLAE VXORI ET
*Pa*SSIENO FELICI FILIO ET
Paʃʃienae L. F. GRATAE VXORI

Exʃcripʃit idem.

Ibidem.

D. M.

L. PASSIENI. MAXIMI
FECERVNT
PASSIENA. HELLIS
MATER. ET SIBI
ET CANTINIA. EVTYCHIA
CONIVGI. KARISSIMO
B M.

Exʃcripʃit idem.

Ibidem.

D. M.

PASSENIAE PROBAE
L. PASSENIVS. CARICVS
NVTRICIVS. FEC.

Exʃcripʃit idem.

Ibi-

Ibidem.

D. M.
PASSENIAE CALLI
OPE. FILIAE. CA
RISSIMAE QVAE
VIXIT. ANNIS. XIIX.
MENSIB. II. DIEB.
XIII. PASSENIA
TERTIA MATER
FECIT

Exscripsit idem.

Ibidem.

D M

L. PASSIENO. CH
RYSANTO. PASSIE
NA. TROFIME. MA
TER. F. FECIT VIXIT
(*sic*) (*sic*)
ANNIS SEDECI. MESI
BVS. X DIEBVS. XX.
ET SIBI ET SVIS

Exscripsit idem.

F., hoc est, *Fieri fecit.*

Ibidem.

D M

P A S S I E N A E
H E L P I D I
R A E C I A. S A B I N A
E T. P A S S I E N A
A T H E N A I S
B. M. F E C E R V N T.

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D. M.
L. P A S S I E N I
V S. S A T V R N I
N V S. F E C I T.
S I B I E T S V I S

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D M
P A S S I E N O
P R I M I G E N I O
P A S S I E N V S
S T E P H A N V S
F I L I O. S V O. F E C I T.

Exſcripſit idem.

Ibi-

Ibidem.

D M

(*sic*)

L. BASSIENVS

VLPIANVS

APRIONI

LIBERTO

BENEMERENTI

FECIT

Exscripsit idem.

Ibidem.

L PASSIENVS EROS ET
P. STAIVS AGATHOPVS FECERVNT
SIBI ET SVIS LIBERTIS LIBERTABVSQVE. POSTERISQVE
EORVM IN FRONTE P. XXV. IN AGR. P XIX

Exscripsit idem.

Ibidem.

L. PASSIENVS. EROTIS. L. EVTACTVS
FECIT. SIBI. ET. ZOSIMO. FILIO. SVO. ET
PASSIENAE. ZOSIME CONIVGI
*Caris*SIMAE. ET
L. PASSI*eno* . . . . . FILIO. SVO
. . . .

Exscripsit idem.

Ibi-

Ibidem.

D M.
PASSENIAE
TRYPHOSE
L. PASSENIVS
CARICVS
COLLIBERTAE
BENEMERENTI
FEC.

Exſcripſit idem.

Ibidem.

CINERIB. SAC
L. PASSIENO HERACLE.
ET MA *Fora-* RCIAE
SECV *men.* NDAE
L. PASSIENVS. STEPHANVS
FECIT

Exſcripſit idem.

Ibidem.

DIIS
MANIBVS
SACRVM
L. PASSIENI L. F.
MAGNI

Exſcripſit idem.

Ibi-

Ibidem.

D. M.

PASSIENIAE SABINAE
OCTAVIA EPITEVXIS
MATER. FILIAE
CARISSIMAE FECIT
QVAE VIX. ANN. X
MEN. VIIII. DIES. VI.

Exscripsit idem.

Ibidem.

D. M.

L. PASSIENO. DIOPITHI
PASSIENA. ACTE
CONIVGI. BEN. ME.
ET. SIBI. FECIT

Exscripsit idem.

Ibidem.

D. M. PASSIENAE
CHRESTE
L. PASSIENVS
HELIVS
MATRI. B. M. F.

Exscripsit idem.

Ibi-

Ibidem.


D M
L. PASSENIO. L. FIL
PROBO. VIX. AN. XIIII. MENS. IIII
L. PASSENIVS. TROPHIMVS. PATER
F E C I T
L. P A S S I E N V S
T R O P H I M V S. F E C I T
S I B I. E T. P A S S I E N I A E
E P I T E V X I
L I B E R T A E. S V A E

Exscripsit idem.

Praeter haec Passienae, seu Passeniae familiae nomina L. PASSIENUS SOTER legitur apud Grut. pag. CCXXXX., ubi tribulium Tribus Succussanae catalogus habetur ordine alphabetico digestus.

Ibi-

Ibidem.

Nondum reliquas Inſcriptiones typis mandaveram, quum Ficoronius noſter aliud familiae Paſſienae monumentum in eadem vinea Moroni repertum nobis amice tradidit; quod propterea hic ſubdimus.

DIS. MANIBVS. SACRVM

MARCIAE. SECVNDAE
L. PASSIENVS. HERACLA
CONIVGI. BENE. MERENTI
FECIT ET SIBI

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D M

C. IVLIO PRIMIGENIO
FVRIA PRIMIGENIA
FEC. COIVGI SVO BENE
MERENT. ET. SIBI. ET.
SVIS POSTERIS. EORVM

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D M
TIGELLIAE
RESTVTAE
MATRI FEC
M. TIGELLI
VS RESTVTVS
FIL

Exscripsit idem.

Ibidem.

D I S. M.
EXPEDITVS. VTILI
FRATRI. SVO
EVTYCHES *Foramen.* VER. SVO
FECIT SECVNDA MATER
PIENTISSIMA ET AGILIS P
VIXIT ANIS *sic* II. M XI D XIX

Exscripsit idem.

Ibidem.

D M
T. STATILIVS. EVCRATES
FECIT. SIBI. ET
SVIS LIBERTIS LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE. EORVM
ET. HER. MEO

Exscripsit idem.

Ibi-

Ibidem.

DIS MANIBVS

BACCHYLO
CAESARIS SER
FECIT
TORE VTE
CONIVGI
KARISSIMO

Hic stella, in qua septem foramina.

Exscripsit idem.

Romae, extra portam Naeviam.

IVLIAE AVRAE
VIX. AN. XXXVIII.
TI. CLAVDIVS AVG L.
HERMA
CONTVBERNALI SVAE
FEC.

Exscripsit idem.

Ibidem, extra portam Latinam.

L. VISELLIVS
PARTHENIO V. A. XXV

Exscripsit idem.

Ibidem.

D. M.

P. VALERIO FELICIANO
M. VALERIVS HERMES
COGNATO. BENEMERE
NTI.

Exſcripſit idem.

Ibidem, in Muſeo Ciampini.



Ibi-

Ibidem, prope aedem sanctae Crucis in Hierusalem, & Amphitheatrum Castrense.

M VLPIVS AMIN
NAS CEPOTAFIVM *sic*
SIBI DONATVM MV
RO CINCTVM FECIT
SIBI ET LIBERTIS LI
BERTABVSQVE AE *sic*
ORVM

Exscripsit idem.

Ibidem.

D M

Q. AEMILIVS ANTINOVS ET
AEMILIA FAVSTINA FILIA
CARISSIMA ET
FVFICIA ALEXANDRIA
CONIVX SE VIBI FECERVNT
SIBI ET LIBERTIS (*sic*)
LIBERTABVSQVE . POSTERISQVAE
EORVM . HVIC MVNIMENTO
DOLVS MALVS ABESTO

Idem exscripsit.

Ibi-

Ibidem.

D. M.
FOLIAE AVCIAE
FIL. DVLCISSIMAE
QVAE VIXIT
ANNIS XXVIII
MENS. VI
DIEBVS XVIIII
H. V. FECIT
FOLIA IANV
ARIA MATER
B. M.

Exscripsit idem.

Ibidem, extra portam Latinam.

D. M.
TI. CLAVDIO PRISCO
SECVNDIANO. COACTO
RI. PATRONO. BENEME
RENTI. TI. CL. EVSCHE
MVS. CVM. SER. PRIMA
CONIVGE SVA. ET. TI. CL.
HERMETI. COLLIBERT. CAR
ISSIMO PIETATIS. CAVSA
ET. LIB. LIBERTABVS. SVIS
POSTERIS. *sic* EORVM

Exscripsit idem.

Ibi-

Ibidem, apud doctiss. virum Franciscum Blanchinum.

FELIX FASTINIAN
VS EMIT SIBI ET VX
ORI SVAE FELICITATI
FELICI FOSSORI
IN BALBINIS BASILI
CA LOCVM SVBTE
GLATA *sic* SE VIBVM

Exscripsit idem.

In Balbinis, in agro scilicet quodam ad familiam Balbini Imperatoris spectantem, in quo Felix iste sibi, & uxori suae locum pro sepulcro emit. Hic vero lapis juxta aediculam, quae dicitur *Domine quo vadis*, fuit erutus.

Ibidem.

D. M.

VALERIAE
CREYSADI
VALERIA
FORTVNATA
PATRONAE SVAE
B. ME.

Exscripsit idem.

Romae,

Romae, in vinea Casaliorum.

C. SEIVS. VITALIS
VIXIT. ANNIS XIIII
MENSIBVS VI.
DIEBVS XXII
QVEM NON LICVIT
PLVS AETATEM SVAM *sic*
FRVI. INFELICISSIMAM
MATREM SVAM *sic* FECIT
CATTIA FORTVNATA
FECIT FILIO SVO
PIENTISSIMO

Exscripsit idem.

Ibidem, in Villa Pamphiliorum.

D M
STRATON AVGG
LIB. PP. VELARI
ORVM VIVVS
FECIT SIBI

Exscripsit idem.

PP., Praepositus nempe Velariorum, qui ad intimas domus Augustanae fores vela servabant. Horum mentio extat etiam apud Grut. pag. DXCIX. 7. 8.

Ibi-

Ibidem.

ORCHIVIAE
DAMALINI
CONIVGI SVAE ET
SIBI FELIX CAESARIS
SER. FABIANVS
FECIT

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D. M.
CLODIA LAMPAS FECIT
SIBI. ET CLODIAE LAMPADI
IVNIORI. VERNAE SVAE Q. VIX.
AN. X. MEN. X. ET P. CLODIO HYLLO
PATRONO. SVO. B. M. ET P. CLODIO
IANVARIO. ET P. CLODIO TELESPHORO
LIBERTO SVO ET LIBERTIS LIBERTABVSQVE
SVIS POSTERISQVE EORVM

Exſcripſit idem.

Ibidem, in vinea Moroni.

D M
QVI TVOS CAROS
HABES
PARCE

Exſcripſit idem.

Ibidem.



Ibidem.

DIS MANIBVS

PAPIRIAE *Foramina.* MAGNAE

VIXIT AN. XXXV.

Exscripsit idem.

Romae,

Romae, in monte Aventino prope aedem sanctae Priscae.

D M

L. CVRTIO LALO
CONIVGI B M F
P LELIA TYRANNIS
ET SIBI

Exscripsit idem.

Ibidem, prope aedem sancti Sixti, quam veterem dicunt.

D. M. S

IVLIAE SEVERE KIPI
ΑΓΑΘΗ MAGNI FIRANI
IN OMNIBVS EXEMPLIS
VITAE SVAE FEMINAE
SEVERVS AVG. LIB.
FECIT CONIVGI OPTV
MAE CVM QVA VIXIT
ANNIS XXX DE QVA NI
HIL CONQVERI POTVIT
NISI QVO *sic* CELERI FATO
INTERCEPTA SIT

Exscripsit idem.

Ibidem.

PHILARGYRVS
CHRYSARIONI
OSSVARIVM DE SVO
DAT

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D. M.

DIOGENE AVG
SER. EX DISP.
AELIA DIONE
COIVGI. BENE
MERENTE. *ſic*

Exſcripſit idem.

Ex Diſp., ideſt, *Ex Diſpenſatore*, qui nempe Auguſti Diſpenſator fuerat. Hujus autem munus erat, ſingulis noctibus totius diei expenſas ob oculos domini ponere conſiderandas, ut ex Roſin. lib. v. cap. xxvi.

Ibi-

Ibidem, extra portam Latinam.

D. M. S.

N I C O S T R A T V S
V I X. A N N. L I I.
P I V S I N S V I S *sic*
H. S. E. S. T. T. L.

Exscripsit idem.

H. S. E. S. T. T. L., scilicet, *Hic situs est: sit tibi terra levis*, ut passim.

Ibidem, extra portam Capenam.

D M

A V R E L I A E
F O R T V N A T
A E C O N I V G I
K A R I S S I M A E
B E N E M E R E N T.
Q. V. A N. X X V
P I S I V S A E L I O
R V M F E C I T

Exscripsit idem.

Ibi-

Ibidem, in vaſe rotundo.

A C V T O
IVLIAE GERMANICI
CAESAR FILIAE SER.

Exſcripſit idem.

Ibidem, in vaſe pariter rotundo.

D. M.
M. VALERIO
ABASCANTO
M. VALERIVS
SATVRNINVS FIL

Exſcripſit idem.

Ibidem, in celebri Muſeo Philippi Bonanni S. J., viri clariſſimi.

DIS MANIBVS
CLAVDIAE
ANTONIAE
LIB. LACHNE
PHILIPPVS RVSTIAN.
PVBLICVS AB
SACRARIO
DIVI AVGVSTI
CONIVGI CARISSIMAE
FECIT ET SIBI

Exſcripſit idem.

Apud

Apud eundem.

D I S. M A N

P. P V B L I V S P R I M V S
P. P V B L I O C R E S C E N T I
FILIO SVO CARISSIMO FECIT
VIX. ANN. XX. M.....VIIII.
E T S I B I L I B E R T I S
P O S T E R I S Q V.

Exſcripſit idem.

Ibidem, in vinea Moroni.

D. M.

F L A V I A E. HELPIDI. MATRI
B E N E. M E R E N T I. F E C I T
T. F L A V I V S. S A B I N V S
ET. SIBI. ET. LIBERTIS. LIBERTA
BVSQVE. POSTERISQVE. EORVM

Exſcripſi.

Ibidem.

A C C I M N E
E V P O L I S F R A T R I
S V O B. M. F.

Exſcripſi.

Ibi-

Ibidem.

Visuntur desuper duae manus expansae.

QVISQVIS. EI. LAESIT
AVT. NOCVIT. SEVERAE
IMMERENTI. DOMINE *sic.*
SOL. TIBI. COMMENDO
TV. INDICES. EIVS. MORTEM

Ex alia parte hujus lapidis.

D. M. S.

CALLISTO. FILIO
PARENTES

Exscripsi.

Ibidem.

D. M. SPEI
V. ANN. II. M. X. D. XXIII
L. PORCIVS
CASTRESIS. ET
OCTAVIA. POLLA
ET. SVLLATIVS
POLLO
DELICATAE
SVAE

Exscripsi.


Ibi-

Ibidem.

D. M.
AEPHEBO. ALV
MNO. T. AELIVS
AVG. LIB. SILB
ANVS. BENE
MERENTI
FECIT

Exscripsi.

Ibidem.



Ibidem.

E V N V S . S E L E V C I . F
A N T I O C
V I X I T . A N . X I I X

Exſcripſi.

Ibidem.

D I S. M A N I B V S. P I I S. S.

Q. O C T A V I V S M E M O R
OCTAVIAE. NEBRIDI. CONIVGI LIBERTAEQ.
CONDITA NEBRIS HABES TITVLVM QVEM
SOLA MERERIS OCTAVI MEMORIS
CONIVX. QVAE VERA FVISTI ELYSIOS
PRECOR VT POSSIS INVADERE CAMPOS
MATRONAMQVE COLAS DITIS . . . . . .
QVI PRECE BIS DET SEDES V . . . . . .
. . . AS MERITOSQVE . . . .
. . . . . VS VT . . . .

Reliqua deſunt.

Exſcripſi.

Ibi-

Ibidem.

TI. CLAVDIO. AVG. L
DIOSCORO. A. CENA
CENTVRIONVM
TESTAMENTO
POSVERVNT
EVARISTVS. ET. THALAMVS
CONLIBERTO. B. M

Exſcripſi.

Hujus Liberti munus, qui cenae Centurionum praeerat, non alienum ab officio Primicerii Cenariorum mihi videtur: de quo vetus inſcriptio extat in Theſ. Gruter. pag. MLIIII. 8. Quod tamen Guther. lib. III. cap. IX. de offic. domus Aug. ad Monetarios refert, exiſtimatque Cenarios auri & argenti expurgatores fuiſſe. Eam nos etiam conjecturam eruditorum judicio ſubmittimus.

Ibidem, in villa Alteriana.

L ABVCCIVS. PHILEROS
SIBI.ET.HEROINI.L.SVAE. POSTERISQ.EOR
ET . SVB . SCALA . OLLAS . VI .
LINIA. PERPETVA. AD. SVMMV. *ſic* OL. XVI

Exſcripſi.

Ibidem, in parva urnula Ardeae reperta.

D I S . M A N I B V S
L . A P O N I O
C H R Y S E R O T I
F E C I T
A P O N I A
D E L P H I S
C O N I V G I S V O
C A R I S S I M O

Exſcripſi.

Ibidem, in hortis Columnenſibus.

D . M
A N N I A V I C T O R I A
F L A V I O G L Y C A R I
O N I C O I V G I B E
N E M E R E N T I C V M
Q V O V I X I T . A N N I S
X V I I M V I I I I C V M Q V O
V I X I T A N N I S . L .

^ Erratum Fabrile

Exſcripſi.

^ Quomodo ejuſmodi annorum diſcordia, quibus Annia iſta Victoria cum Flavio Glycarione ſui conjuge, ſeu cojuge, ut potius veteres dicere gaudebant, conciliari unquam poſſit, alii expendant.

Ibi-

Ibidem, in palatio Quirinali.

D M
IVLIA GRAPHIS
FLAVIO
ALEXANDRO
AVG. LIB. AB
EPISTVLIS LATINIS
CONIVGI. SVO. BENEME
RENTI. FECIT. VIXIT
ANNIS. XXXX
ITEM SIBI POSTERIS
QVE SVIS

Petrus Franciſcus Cornazzanus exſcripſit.

Ibidem, in parva urna anaglyphis eleganter inſculpta apud Franciſcum Venturinum.

D. S
HERMIPPO
AVG. LIB. PROC
SCAENICO. VLP
AMANDA. ET. VLP
PRIMITIVA. PATR
B. M. POSVERVNT

Exſcripſi.

PROC. SCAENICO, cui nempe Scaenarum cura fuerat demandata. In Theſ. etiam Grut. pagina CCCXXXI. 4. L. Surredius Felix Procurator ab Scaena Theatri Domitiani Caeſaris inſcribitur.

Nea-

Neapoli, in Museo Josephi Vallettae.

D M

LVCIAE. CELERINAE
QVAE. ET. VICTORIA. VIXIT
ANN. XXIII. L. PETRON
FORTVNATVS. CONIVGI
DVLCISSIM. FECIT

Nicolaus Valletta exscripsit.

Ibidem.

D. M.

TI. CL. MARINVS
NONAGEN. CL. PR. MIS
ET. AELIA. NICOLAI
CONIVX. EIVS. SIBI
LIBERTIS. LIBERTA
BVSQ. POSTERISQ. EOR
FECERVNT

Exscripsit idem.

NONAGEN. CL. PR. MIS. Nonagenarius nempe miles classis Praetoriae Misenensis.

Ibi-

Ibidem.

T. FLAVIVS. PARIS. FECIT
MARCIAE. AVRAE. CONIVGI
BENE. ME. ET. AECIANIO
GENIALI. ET. TYCHE. CONTVBE
RNALI. SVAE. POSSIDENDVM
MONIMENTV *sic*

Exscripsit idem.

Ibidem.

D M
QV. SILICIO. SILBA
NVS. NAT. AFER. VIX. AN
...IX. EMERIT. CL. PR. MIS
QV. T. SILBANVS. FIL
MESSEA. IANVARIA
CONIVX. B. M. F.

Exscripsit idem.

EMERIT., *emeritus*, nempe qui post multos militiae annos justam missionem obtinuerat. Unde Isidor. lib. IX. orig. cap. III. *Emeriti*, ait, *dicuntur veterani solutique militia, qui jam in usu praelii non sunt; quia mereri militare dicitur, a stipendiis scilicet, quae merentur. Iidem & Veterani dicuntur; quia jam in usu praelii non sunt; sed post multos militiae labores quietis suffragium consequuntur.*

Ibi-

Ibidem.

DIS. MANIBVS
M. ANTONIO. CAPITONI
VETERANO. EX. CLASSI
PRAETORIA. MISENENSI
ANTONIA. RESTITVTA
PATRONO. BENEMERENTI

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D M
IVLI. HERMOGENI
NATION. SYRVS
VIXIT. ANN. XXXV
EVSTATIA. H. B. M. F.

Exſcripſit idem.

H. B. M. F., hoc eſt: *Heres bene merenti fecit.*

Ibidem.

D M
CLODIAE. PI
ROCLEAE. VIX
ANNIS. XXXX
LVCIA. AMONIL
LA. NEPOS. ET
HERES. B. M. F.

Exſcripſit idem.

Ibi-

Ibidem.

D M

A V R E L I O. D O
M N I O N I. M I L I T I
V I X I T. A N. X X V I I. A V
R E L I V S. C A I A N V S
E T. A V R E L I V S. S A M V S
H E R E D E S
B. M. F E C

Exscripsit idem.

Ibidem.

IVLIA. M. L. HELENA. SIBI. ET
M. TVLLIO. M. L. TIMONI. PATRO

FAVORI. L.	L. TAMPIVS. L. L.
AVCTO. L.	ANTEROSI. SIBI. ET
ANTIOCHO. L.	FELICIONI. L. ET
POSTERISCE *sic*	FLORO. L. ET
SVIS	VITALINI. L. ET
	POSTERISQVE. SVIS

Exscripsit idem.

Ibidem.

D M
IVLIAE
APHRODISEAE
MATRI
ANTONIVS
ARISTO. IVNIOR
B. M. POSVIT

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D. M.
M. COCCEIO
ZOSIMO. IVN
IA. PHILVMENE
CONIVGI. B. M. VIX
ANN. XXVII. MIIII

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D. M.
FELICI. AVG. L.
PLVMBARIO
OCTAVIA. CEN
SORINA. CON
IVGI. BENE
MERENTI
FECIT

Exſcripſit idem.

Ibi-

Ibidem.

Militum quorundam classium Praetoriarum, ut reor, I. II. III., & IIII. ad Misenum nomina.

CESSVS.	III		
C. ANTONIVS. FELIX.	III	M. ANTONIVS.	IIII
CALPVRNIVS. SILENVS.	II	LVTYTIVS.	IIII
CALPVRNIVS. CARIVS.	II	HERMA.	III
NEMESIVS. MERCVRIVS.	II	EVTYCHIVS.	IIII
L. COMINIVS		NICEPHORVS.	III
C. FONTEIVS. HERMA.	I	VICTOR.	III
L. STATIVS. HERMES.	I	MERCVRIVS.	II
C. ANTVS. NEDIMVS.	I	ROMVLVS.	I
POMPEIVS. MASCANNANVS.	I	NICEPHOR.	I
G. ANTONIVS. EVSCVS.	I		
MILIVS. VITALIS.	I		

DEDIC. K. OCTOBR.

Exscripsit idem.

Ibidem.

D. M.
AVRELIO. MAXIMO
VIXIT. AN. XXX. M. III. D. X.
MIL. ANN. VII. IN. CL. PR. M.
NEMONIA . . . . . .

Exscripsit idem.

IN. CL. PR. M., *in classe Praetoria Misenensi.*

Ibidem.

D M
C ANNI. DRACONIS
VETERAN. CL. PR. MIS
NATIONE. CYPR.
VIXIT. ANN. LX. AN
NA. DIONYSIAS. LI
BERTA. ET. HERES
BENEMER. FECIT

Exscripsit idem.

Ibidem.

D. M.
C. TERENTIVS. LONGI
NVS. ORNO. FACTIONE
ARTIFICVM. VIXIT. AN
NIS. XXX. MIL. VIX. AN
NIS. XI. TVLLIVS. TITIA
NVS. TR. CLAS. PR. MISIN. *sic*
H. B. M. P.

Exscripsit idem.

MIL. VIX., *Miles vixit.*

Ibi-

Ibidem.

D. M.
VALERIVS......
NAT. ALEXANDRIN...
EX VELAR. DVPLICAR
MIL. ANN. XXVI. VIX
ANN. LVI. MENS. III
DIEBVS. XII
L. VALERIVS. IVSTVS
VARINIA. HELENA
B. M. F

Exſcripſit idem.

Ex Velar. Dvplicar., ideſt: Ex Velariis Duplicariis, ſive Duplariis. Ita enim vocabantur, qui duplex ob merita ſtipendium diurnum accipiebant: qui vero unum Simplares. Veget. lib. III. cap. VII. *Armaturae duplares, quae binas conſequuntur annonas: ſimplares, quae ſingulas.*

Ibidem.

DIS. MAN
L. PERCENNIO. MAXIM.
GVBERNATORI. EX. CLASSE
PRAETORIA. MISENENS.
VIXIT. ANN. XXXXVI.

Exſcripſit idem.

Ibi-

Ibidem.

D. M.

C. I V L I. P O N T I C I
B R I. D V P L. C L. P R. M I S
N A T. P O N T I C. V I X I T
A N N. X L I I I I. M I L. A N N.
X X I I. I V L I V S. P O N T I C V S
F I L I V S. E T. A N T O N I A. L A
T I C H E. C O N I V N X. H. B. M. P

Exſcripſit idem.

Hoc eſt: *C. Julii Pontici Britannici duplaris claſſis Praetoriae Miſenenſis natione Pontici.*

Ibidem.

V A L E R I A. A M M I A
C. G E L L I O. P R I S C O. V E T E R
V E R O. *sic* S V O. B E N E M E R
E T. S I B I. E T. L I B. S V I S
P O S T E R I S Q V E. A E O R V M *sic*
H O C. M O N I M E N T V M. H E
R E D E. *sic* N O N. S E Q V I T V R

Exſcripſit idem.

VERO pro *Viro.*

Ibi-

Ibidem.

D M

C. SALLVSTIVS. MARCI
ANVS. ITALIC. ANN. VIII
M. II. BRINNIA. MAR
CIANA. MATER. FILIO
DVLCISSIMO. ET. PI
ENTISSIMO. B. M. F

Exscripsit idem.

Ibidem.

D. M.

M. AVR. M. F
ILIO. GALE
VIVINACIO
MIL. CHO. IV. PR
VIXS. *sic* ANN. XLV
MIL. ANN. XIIII
AVRELIA. NICE
MARITO SVO
B. M. POSVIT

Exscripsit idem.

GALE., *Galeria* scilicet *tribu*.

Ibi-

Ibidem:

D M
ANTONIO . RVFO . MA
NIPVLAR. P. CL. PR. RA
VENNAE. III. MARTE. VI
XIT. ANN. XXX. M. II. AN. XV.
. . . . . PVS . HERES . B
M . F .

Exscripsit idem.

Hoc est : *Manipularium Praefecto Classis Praetoriae Ravennae.T* riremi [redacted] Marte, navi nempe Praetoria *Marte*[redacted] appellata. Confirmat id Pighius in Hercule Prodicio, ubi de classibus, quae ad Misenum stativa habebant, haec memorat: *Castrorum enim in iis locis magna sunt vestigia, classiorumque militum epitaphia e sepulcris vicinis extracta, me quondam vidisse, & exscripsisse meminì, in quibus etiam erant expressa Praetorianarum navium nomina; veluti Fides, Isis, Gallus: in quarum classe singuli militaverant.* Inscriptiones huc faciunt, quae mox infra sequentur. De his praeterea Ravennatibus, & Misenensibus Praetorianis classibus Veget. lib. IV. cap. XXXI. *Apud Misenum ergo, & Ravennam singulae legiones cum classibus stabant*: ubi vide, quae ex Suetonio, & Tacito Stewechius vir eruditissimus adnotat.

Ibi-

Ibidem.

D. M

C. IVLIO DIODO....
MIL. CLASS. PR. MIS....
IIII. DACICO. NAT. B....
VIX. ANN. XLV. MIL...
TI. CLAVDIVS. PATE....
SCRIBA. HERES....

Exſcripſit idem.

Ibidem.

D. M

C. VALERI. GERMANI
MIL. EX. CL. PR. MIS
III. TAVRO. STEP. XXV
NAT. SARDVS
MESTRIA. EVHODIA
H. B. M. F.

Exſcripſit idem.

STEP., pro STIP. Stipendia nempe ſumpſit, ac militavit annis xxv.

Ibidem.

DIIS. MANIBVS
L. VALERIO. MAR
TIALI. MILITI. EX
CLASSE. PR. MISEN
EX IIII. VESIL. *sic* NATION
NE. *sic* SIRVS. *sic* MIL. AN
NIS. IX. VIXIT. AN. XXX
FECIT. M. VALERIVS
AS . . . . BENE
MERENTI

Exscripsit idem.

Vesil., nescio, an recte. Pro Vesta ita forsan legerit.

Ibidem.

ANTONIV *sic*
RENVS. III. MI
NERVA. Ñ. ÆGYPTI
VIXIT. ANNIS. XLV. MILI
TAVIT. ANNIS. XXII. HYGIA
LIBERTA. EIVS. ET. H. B. M. F

Idem Valletta exscripsit.

Ñ., *Natione* scilicet.

Ibi-

Ibidem, apud J. Vincentium Rondinellum.

D . M .

L. POMPEIO ASIATICO
III SOLE. NAT. ALEXANDR.
MIL. AN. XXVII. VIX. A. LIIII.
ET
M. POMPEIO FIL. EIVS.
VIX. AN. VIII. M. V DIEB. X.
VALERIA. MARCIA CONIVG
KARISSIMO. ET FIL. DVLCIS
SIMO. BENE. MER. FEC.

Idem exscripsit.

Ibidem.

D. M. L. SVRDINI SA
TVRNINI. IIII. AR.
MATA. NAT. AFER.
VIX. ANN. XXXX.
MILI. ANN. XVIIII.
CLODIA. SECVNDA
MATER. FIL. BEN. M. F.

Exscripsit idem.

Ex his itaque ſuperioribus Inſcriptionibus in Promontorio Miſeni repertis, praeter illa, quae monuit Pighius, alia etiam earundem Miſenenſium Navium nomina habemus, quae ſcilicet Mars, Dacica, Taurus, Veſta, Minerva, Sol, & Armata appellabantur. Quem morem inſignioribus Navibus id genus nomina imponendi lib. v. Aeneid. verſ. 114. ita Vergilius eſt imitatus:

Prima pares ineunt gravibus certamina remis
Quatuor, ex omni delectae claſſe, carinae.
Velocem Mneſtheus agit acri remige PRISTIN,
Mox Italus Mneſtheus, genus a quo nomine Memmi,
Ingentemque Gyas ingenti mole CHIMAERAM
Urbis opus: triplici pubes quam Dardana verſu
Impellunt; terno conſurgunt ordine remi.
Sergeſtuſque, domus tenet a quo Sergia nomen,
CENTAURO *invehitur magna;* SCYLLA*que Cloanthus*
Caerulea.

Ibidem.

D. M.
Q. NAEVIO
MARCIANO
MILITI. CL. PR. MIS
BENEFICIAR
VIXIT. ANN. XXII.
M. II. DIEB. XXIII.

Exſcripſit idem.

Ibi-

Ibidem, prope Aversam repertum.

M. VERRIVS. M. L. ABASCANTVS.
M. VERRIO. M. F. FAL. CELSO 7. LEG. III.
CYRENAICAE. ET. M. VERRIO M. F. FAL.
FLACCO. FILIS. M. VERRIO. PRIMIGENIO.
SOCIO. SVO. PLINIAE. CYCLADI. M. PLINIO.
FAVSTO. M. VERRIO. ANTHO. CYCLADIS.
CONIVGIBVS. PLINIAE. INGENVVAE. VXOR
VERRIAE. HYGIAE. IVNIORI LIB. LIBERTIS
LIBERTABVSQVAE *sic* SVIS.

Exſcripſit idem.

Fal., hoc eſt: Falerina tribu, de qua Livius lib.IX. cap.XX. *Et duae Romae additae tribus, Ufentina ac Falerina.* 7. Centuria nempe Leg. III. Cyrenaicae, quae in Arabia ſtativa habebat.

Romae, in vinea Moroni.

Q. POMPEIVS
Ɔ. L. PAMPHILVS
OSSA. HIC. SITA

PITEROS
POMPEIAE
Q. F. LIBRARIVS
A. MANV

Exſcripſi.

Librarivs. a. manv, & *ad manum*, ut ex Grut. pag. DLXXX. II., amanuenſis nimirum, cujus opera in ſcribendo veteres uti ſolebant.

Ibi-

Ibidem.

DIIS MANIB

M. TREBELLIO. ARGOLICO
TABVLARIO. VIATORVM
QVAESTORIORVM. AB
AERARIO. AMICO. OPTIMO
PRISCVS. T. FLAVI.
POLYCLITI. V. Q. SER
ET. TREBELLIA. GRAPHICE. CON. B. M.

Exscripsi.

QVAESTORIORVM AB AERARIO, *Aerarii* nempe Quaestorum, qui pecuniae praeerant: *sic dicti ab eo, quod pecuniae inquirendae, & conservandae caussa creati erant*, ut Pompon. monet l. 2. §. Deinde, ff. de instit., & jur. TABVLARIO VIATORVM, dum iter nempe iidem Quaestores facerent, illorum expensarum tabulas conficiebat. v. Q. *Viri Quaestorii.*

Ibidem.

OSSA
C IVLI AVGVSTI L. LOCHI
QVINCTILIANI

Exscripsi.

Romae,

Romae, in villa Alteriana.

D M
PLAETORIAE
AVGAENI CONIVGI
B. M Q. V. A. XXIX
FECIT
HERMES BARBARICARIS
MINISTRATOR. L

Exſcripſi.

Miniſtratoris mentio extat etiam in Theſaur. Grut. pag. DCI. 3. 4. 5., & pag. MCXI. 14., & pag. MCXIII.4.unde ſervile munus fuiſſe deducitur. L.*quinquaginta*, nempe ollas dedit, ut auguror.

Salerni, apud Franciſcum Mariam Mazzam.

SABINO AVGVSTI N.
DISPENSATORI. AVRELIA EPICHARMIS.
* CONIVGI
B. MERENTI. FECIT. VIXIT. ANN. XXXVI

Antonius Sanfelicius dedit.

Ibidem.

D. M.
AELIAE.CONCORDIAE. NICEPHORIANVS
AVG. VERN. DISP. VXORI. CARISSIM. B. M.

Dedit idem.

Ibi-

Ibidem.

D. M

AVRELIVS . AEPICTETVS . *sic* VETERANVS NATIONE GROECVS. *sic* QVI. VIXIT. ANN. L. NICOBOLVS FILIVS PATRI SVO BENEMERENTI. FECIT
AVRELIO RHODONE PROCVRANTE

Dedit idem.

Romae, in museo M. Antonii Sabatini.

D. M
PRIMITIVO. ET
CALYBENI
SORORI. EIVS
Q. ATTIVS. HERMES
DISCENTI
PIISSIMO. ET
HERENNIVS
FORTVNATVS
TATA. ET
HERENNIA
RHODINE. MAMMA
B. M. FECERVNT

Exscripsi.

DISCENTI pro *Discipulo*. Sic apud Gruter. pag. DCLI. 9. *Tata*, *&* *Mamma*, ideſt Pater, & Mater.

Mater. Paedagogus enim iſte titulum Primitivo ſui diſcipulo, & Calybeni illius ſorori faciens ad morem puerorum reſpexit, qui parentes etiamnum Tatam, & Mammam vocant. Notum eſt illud Martial.lib.1. epigr. CI.

Mammas,atq;tatas habet Afra:ſed ipſa tatarum
Dici,& mammarum maxima mamma poteſt.

Baiis repertum, nunc in Hortis Principis Cellamarii.

CN. PITIVS. PRIMIGENIVS.
SIBI. ET. BABBIAE. AGATHEMERIDI
VXORI. SVAE. BENE. MERITAE
ET LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
SVIS. POSTERISQ. EORVM
HOC. MONVMENTVM. PROPART.
DIMIDI. ET. QVART. POSSESSOR

Rondinellus exſcripſit.


Ibidem, in promontorio Miſeni repertum.

D. M
D. IVNIO. D. F. CLAV
CERTO SACERDOTI
ET. ARVSPICI. PVBLICO
EX GENERE SACERDO
TVM. CREATO FRA
TRI PIENTISSIMO

Exſcripſit idem.

CLAV. Claudia nempe Tribu. ARUSPICI. cum, & ſine adſpiratione paſſim ſcribitur. Egregie firmare videtur hic lapis illuſtrium Antiquariorum Gisb. Cuperi lib. IV. obſervation. cap. XIII., & Noriſii diſſert. II. cap. V. Cenotaph. Piſan. ſententiam adverſus Gutherium, qui lib. I. cap. III. de vet. Jure Pontif. inter quatuor praecipua Sacerdotum collegia Haruſpices agnoſcit. Hinc enim non obſcure patet, nec Sacerdotes fuiſſe, licet etiam ex genere Sacerdotum quandoque crearentur, ut de hoc Decio Junio Certo contigit. Eos inſuper, uti Augures, duplicis generis fuiſſe, publicos nempe, & privatos, haec monet nos etiam Inſcriptio.

Romae, in vinea Moroni.



Juvenilis Mercurii effigies ſuperne inſculpta hic viſitur, dextra Caduceum, ſiniſtra Burſam, ut fieri ſolet, geſtantis, additis preterea Ariete, ac Teſtudine hinc inde poſitis. Cur ei Aries a veteribus fuerit attributus, non una a Phornuto lib.I. de Deor. cognominibus ratio affertur; ſed ea potiſſimum eſſe videtur, quam Pauſan. in Corinthiac. cap.III. tradit. *Rurſus*, inquit, *in via, qua ad Lechaeum recta iter eſt, Mercurius ex aere ſedens viſitur: cui adſiſtit Aries, quod unus prae ceteris Mercurius greges tueri & augere exiſtimatur: ut Homerus in Iliade ſignificat:*

Hic tibi natus erat pecoris ditiſſime Phorba,
Quem ſibi prae cunctis charum Cyllenia proles
Ditarat Teucris.

Teſtudo vero eidem, ut lyrae inventori, adſcribitur. Idcirco apud Apollodor. lib. III. de Deor. orig. legitur, quod Mercurius quas Apollo boves paſcebat, furto abactis: *Inde in Cyllenem feſtinanter proficiſcitur, pro antri oſtio depaſcentem teſtudinem invenit, qua perpurgata, & abſterſa ſuper ejus teſta nervos ex mactatorum boum inteſtino confectos tetendit, & lyram conficit.*

Nea-

Neapoli, apud Josephum Vallettam.

D. M
VERO. QVI
VIXIT. ANN
VII. M. VIIII
AMPILIVS
B. M. F

Nicolaus Valletta exscripsit.

Apud eundem.

D. M.
P. ORTENSIO
SEVERO. VIX.
ANNIS. XVIII.
CASSIA. CHARIS
MATER. FILIO
PIENTISSIMO

Exscripsit idem.

Ibidem.

D. M
FABIAE. IVSTAE. QVAE VIXIT. AN
NIS. XXXI. MENS. VNO. DIEB. XXI
L. FABIVS. CRESCENS. CONIVGI. KA
RISSIMAE. D. S. B. M. FECIT. SIBI. ET
CL. ASCLEPIO. FRATRI. ET. LIBERT
LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EO
RVM

Exscripsit idem.

Romae,

Romae, in domo quadam privata in Colle Hortulorum juxta aedem SS. Trinitatis posita.

AVREL MVCIANO
MIL. COH. V. PR
BARBATI MILITA
RE COEPIT POMPE
IANO ET AVITO COS
ANN XV. VIXIT ANN
XLV NATVS TREM
ONTIAE CL. PAVLINA
COIVGI KARISSIMO
EX TESTAMENTO
FECIT

Exscripsi.

Mil. coh. v. pr., hoc est: *Militi Cohortis quintae Praetoriae*, cujus Praefectus, ut videtur, Barbatus fuerat. *Pompejano, & Avito Cos.*, id est: anno V. C. DCCCCLXII. a Parilibus, aerae Christianae 209. *Tremontiae*, nempe Trimontio Thraciae urbe, quae & Philippopolis. Plin. lib. IV. cap. XI.. *Oppidum sub Rhodope Poneropolis antea, mox a conditore Philippopolis, nunc a situ Trimontium dicta*. De qua Ptolemaeum vide, qui & aliud hujus nominis oppidum inter Angliam, & Scotiam recenset, quod nunc *Atterith* dicitur, ut Camdeno videtur.

JOAN-

JOANNIS VIGNOLII VETERUM INSCRIPTIONUM SELECTARUM

CLASSIS III.

Variae.



NSCRIPTIONES illas Varias nos dicimus, quae a Votivis, & Sepulcralibus omnino excluduntur; quippe quae nec ullam cum Diis, nec cum Defunctorum Manibus rem habent: sed ea duntaxat monumenta respiciunt, quae vel publicam, vel privatam, atq; non unius ejusdemque generis tantum rem aliquam designant. Hae quidem majorem nobis uberioremque differendi materiam traderent: verum instituti, atque ocii nostri non est, veteres, quas edimus, Inscriptiones, uti par esset, adnotationibus persequi. Eas etenim orbi erudito hoc potis-

potiſſimum animo deferimus, ut, ſi noſtra quae ſunt, ei diſpliceant, non noſtrum hic ſaltem aliquid reperiat, quod probet.

Romae, Cippus in vinea quadam Caroli Candidi prope montem Teſtaceum effoſſus anno 1700.

EX. AVCTORITATE
IMP. CAESARIS. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. F
DIVI. NERVAE. NEPOTIS
TRAIANI. HADRIANI
AVG. PONTIF. MAX. TRIB
POTEST. V. IMP. IIII. COS. III.
L. MESSIVS. RVSTICVS. CVRATOR
ALVEI. ET. RIPARVM. TIBERIS. ET
CLOACARVM. VRBIS. RR. RESTITVIT
SECVNDVM. PRAECEDENTEM
TERMINATIONEM. PROXIMI. CIPPI
PED. CVII.

Exſcripſi.

Huic ſimilis Inſcriptio legitur etiam apud Gruter. pag. CXCVII. 5., qua tamen cippus alter ab eodem L. Meſſio Ruſtico Alvei & Riparum Tiberis, & Cloacarum Urbis Curatore, eodemque anno poſitus declaratur, V. C. nempe DCCCLXXIV. a Parilibus, aerae Chriſtianae 122., quo Tribunitia Hadriani poteſtas quinta decurrebat. Quod non

non hic autem idem ſit cum Gruteriano, praeter recentem ejus e ruderibus effoſſionem, tum menſura pedum, quae hic eſt CVII., ibi vero CXVS., tum alterius proximi cippi, quae in utroque ſit, mentio ſatis oſtendunt.

Ibidem. Cippus in vinea Palatieſca prope viam Portuenſem, & Tiberis ripam eodem anno 1700. repertus.

C. MARCIVS. L. F. L. N.
CENSORINVS
C. ASINIVS. C. F. GALLVS
COS. EX. S. C. TERMIN
CVRATORES. RIPARVM. QVI. PRIMI
FVERVNT. EX. S. C. RESTITVER
RR. PROX. CIPPI. P. LX

Exſcripſi.

Cippus hic etiam ab alio, qui recenſetur in Theſ. Gruteri pag. eadem CXCVII. 2. non abſimilis prodidit. Ibi tamen C. Marcius, qui anno U. C. DCCXLVI., ante Chriſtum 8. Conſul proceſſit, C. Aſinio Collegae poſtponitur, & dicitur L. N., hoc eſt *Lucii Nepos*, quae in noſtro ſunt omiſſa. Pedum quoque menſura non eadem conſtat. in hoc etenim eſt ped. LX., in eo vero ped. CLXIIIS., male praeterea ibi Gruterus habet: R. P. pro RR. *Rejectis* nempe *ruderibus*.

Ibidem, in columella. Ex uno latere, ubi patera & urceolus, legitur :

L. DVNNIVS APELLA
C. ANNIVS TYRANNVS
MAG. PRIM.
FORT. HORR. DD.

Ex alio latere, ubi duplex Cornucopiae :

C. ANNIVS TYRANNVS MAG.
ET L. DVNNIVS APELLA PRIMI
FOR. HORR. DD.

Exſcripſi.

Id eſt: *Magiſtri primi Fortunae horreorum dedicarunt.*

Romae, apud Franciſcum Ficoronium.

AREA
L. MVNATI. PLANCI. L.
SOSTRATI

Exſcripſi.

L. Munatius Plancus, cujus hic Soſtratus Libertus inſcribitur, Conſul in faſtis cum C. Silio Caecinna praenotatur anno U. C. DCCLXVI., & Chriſti 13. De quo Tacit. Annal. lib. 1. cap. XXXIX.

Baſis

Basis marmorea in Agro Zagaroli nuper effossa.

DOMINO PATRI
M. VAL. MAXENTIO
VIRO CLARIS
. . AL. ROMVLVS. C. P.
PRO AMORE
CARITATIS EIVS
PATRI BENIGNISSIMO

Exſcripſi.

Inter conjuges *Domini* attributum uſitatum non ſemel in ſaxis occurrit, ut ex Indice Gruteriano cap. XIV., & ex Suet. in Claudio cap. XXXIX.: *Occiſa*, inquit, *Meſſalina, paullo poſt quam in triclinio decubuit, cur domina non veniret, requiſivit*. Atque inter alios etiam affines, ut apud Reineſium cap. eodem obſervare licet: ubi alia, Chriſtiana tamen, Inſcriptio CCCXXIX. Claſſis vigeſimae indicatur, cui ſimile huic ineſt initium. C. P. *Curavit poni*, patris nempe ſtatuam, atque ei quidem ſuperſtiti, quum Virum Clariſſimum, & Patrem Benigniſſimum illum appellet. Qui quidem tituli nonniſi viventem hominem deſignare videntur.

In aquaeducto plumbeo juxta aedem S. Crucis in Hieruſalem reperto.

IMP CAES L SEP SEVERO PIO PERTIN AVG N
III ET IMP M AVRELIO ANTONINO AVG FIL COS

Vidit Ficoronius.

 Sci-

Scilicet: *Imperatore Caesare Lucio Septimio Severo Pio Pertinace Augusto nostro* III, *&* *Imperatore Marco Aurelio Antonino Augusti filio Consulibus*. Qui Consulatus ad annum U.C. DCCCCLV., epochae Christianae 202. in fastis notatur.

In gemma, quae dicitur Aqua marina.

A
ΚΥΡΙΑϹ
ΑΓΡΙΠΕΙΝΑΕ

Vidit idem.

ΑΓΡΙΠΕΙΝΑΕ pro Αγριππίνης. A. Αὐτοκράτωρος interpretamur, *Imperatricis* nempe *Dominae Agrippinae*: adeo ut nec istam, nec aliam ex Augustis feminis ita inscriptam in vetustis monumentis tam facile inveneris, uti nec etiam ex iisdem alia proditur, quae quandoque una simul cum filio imperaverit. Quare Dio in Nerone lib. LXI. *Agrippina*, inquit, *principio administrabat omnia, quae ad principatum spectabant: ambo una exibant foras, & saepenumero eadem lectica vehebantur: quanquam illa magna ex parte vehi, hic consequi solebat: illa respondebat legatis, literasque ad populos, & principes, & reges mittebat.*

Baiis

Baiis repertum, nunc in Hortis Principis Cellamarii.

ADITVM · ET
CISTERNAM
COMMVNEM ·

Rondinellus exſcripſit.

In Civitate Bovini.

GERMAN
TI. AVG. F.
COS. II
IVLIAE
MAMMEAE
AVG.
MATRI AVG.

Antonius Sanfelicius dedit.

Monumentum aliquod in honorem Germanici Caeſaris Tiberii Auguſti filii, qui anno U.C. DCCLXXI. Chriſti 18. cum eodem Tiberio III. Conſul II. proceſſit, & Juliae Mammeae ſub Severo Alexandro ejus filio poſitum Inſcriptio declarat, quum ibi Mammea Auguſta, & Auguſti mater dicatur.

Ibi-

Ibidem.

P. PACCIVS. PHILETVS
II. VIR
MARCO GAVIO L. F. GAL
EX TESTAMENTO
LOC. DE. DEC

Dedit idem.

Gal., octava ſcilicet Tribu quae Galeria dicitur.

Tabula marmorea in Eſquiliis, ubi aedes S. Franciſci de Paula hoc anno 1704. effoſſa, quae nunc extat apud Franciſcum Ficoronium.

GRATTE C. F DOMITILLAE
..ILIAE. LENTINI SABINI
V. FORT. LEGT. *ſic* ASCALON
CONIVG. SATRI SILON
IS. V. RELIG. PROMAGIST.
NEPTI. VESPASIANI. IM

Exſcripſi.

Domitillam Veſpaſiani Imperatoris uxorem unam, filiam alteram fuiſſe, Suetonius in eodem Veſpaſiano cap. III. nos docet. *Inter haec*, ait, *Flaviam Domitillam duxit uxorem*: quam poſtea una cum patre a Tito & Domitiano eorum filiis conſecratam ejus nummi teſtantur, in quibus Diva inſcribitur: & paullo poſt: *Ex hac liberos tulit, Titum & Domitianum, & Domitillam*. De hac vero, cui Gratte Caii filia monumentum poſuit, quamque Veſpaſiani neptem fuiſſe tum haec, tum alia inſcriptio mo-

monet, quae a Spanhemio ſuppleta diſſert. VII. de uſu, & praeſt. numiſm. pag. 620., in Theſ. Grut. habetur pag. CCXLV. 5., apud Dionem in Domitiano libro LXVII. mentio extat; ubi Domitiani, a quo fuit in Pandatariam inſulam relegata, conſanguineam illam vocat. Ibi tamen non Satri Silonis, ſed alterius conjugis, Fabii nempe Clementis uxor dicitur. LEGT. Legati ſcilicet Aſcalonis Palaeſtinae urbis, ſive Aſcalonitarum, de quibus doctiſſimos viros conſule, Noriſium nempe diſſert. V. de Anno, & Epochis Syromaced., & Harduinum de Nummis Herodiadum ad annum Chriſti 68.

Corae, ad aedem S. Mariae Plebis.
Baſis e Tiburtino lapide.


TI. CL. TI. FILIO. ROM
IVSTO
OMNIBVS. HONORIBVS. CORAE. FVNCTO
ORDO. ET. POPVLVS. CORA. OB. BENEMERITA
EIVS

Marſilius Cataldus exſcripſit.

ROM., *Romilia*, quae primum inter Tribus ruſticas locum obtinet.

In

In lapillo, qui apud me extat: ubi ex una parte equus palma insignis visitur, ex alia vero ejusdem equi nomen legitur.



Cretus nempe (ita equus ille vocabatur) *vicit ducenties decies*. Sic apud Fabrettum cap.IV. Inscription. pag. 276., & 277. aliorum aliquot equorum nomina, qui cursu pluries palmas tulerunt, sunt nobis exhibita. Miror tamen celebris Antiquarii Andreae Morellii hallucinationem senem eruditissimum non observasse, qui in specimine rei nummariae tab. III. num. 3., ubi ex museo Sebastiani Faeschii nummum exponens, in quo duorum equorum nomina hoc modo sunt inscripta:

TO XX
OTES ex alia vero: AMOR:
TOXXOTES legit pro TOOTES XX. *vicies* nimirum *vicit*.

Romae, in vinea Moroni.

Q. FABIVS . MAXIMORVM . L.
AMICVS . PRAEF. C. A. V.
MARIA . A. F. PRIMA
Q. FABIVS . MAXIMI . L. ZENO
PAPIRIA . Ɔ. L. ATHENAIS
C. PAPIRIVS. ATHENAINIS. L. ANTEROS
Exscripsi.

C. A.

C. A. V. (nescio, an id recte assequamur) *Classis Alexandrinae quintae*: utpote quae numerata non adhuc mihi sese obtulit. De qua vide Causaubonum ad Sueton. in Augusto cap. XCVIII.

In oppido Duratiani, ante S Jacobi aedem.

C. NVMMIO. C. FIL. FAL.
CONSTANTI P.P.
LEG. II TRAIANE. *sic*
CENTVRION. II LEG. III.
CYRENEICAE. *sic* ET VII. CLA.
EVOCATO. IN. FORO. AB ACTIS.
MILITI COH. IIII PRAET.
II. X. VRB. DONIS DONATO AB
IMP. TRAIANO. TORQVIBVS
ARMILLIS. PHALERIS. OB
BELLVM. PARTHICVM III. M. AB
IMP. HADRIANO. CORONA.
AVREA. TORQVIBVS. ARMILLIS.
PHALERIS. OB. BELLVM. IVDAICVM.
HAEREDES. EX. TESTAMENTO.


Rondinellus exscripsit.

FAL., id est: *Falerina*, quae XXXI. inter Tribus numeratur. PP., *Praeposito* nempe *Legionis secundae Trajanae, Centurioni bis, Legionis ter-*

tiae Cyrenaicae, *&* *ſeptimae Claudiae*. EVOCATO. IN. FORO. AB. ACTIS. Sic apud Grut.pag.CCCCXLV.9. & 10. C. Appius Baſſus evocatus Auguſti ab actis fori inſcribitur. Hos autem Scribas ſedentarios Guther. de Offic. domus Aug. lib.II. cap. XIII. appellat, quos Notarios nos dicimus: *Ab actis vero*, inquit, *ſunt Scribae ſedentarii*, *qui Judicis ſententias in judicio notis excipiebant*. Dum vero ad ejuſmodi officium Nummius iſte evocatus dicitur, praecipui quidem honoris nota declaratur: utpote qui non ambitu, neque largitionibus, ſed honorabili, ut a Symmacho appellatur lib.IV. epiſt.V., Principis evocatione fuerat id munus adeptus. II. X. VRB. militi nempe ſecundae, & decimae Cohortis Urbanae. Mox militaria dona in lapide enumerantur, quae ab Imperatore Trajano ob bellum Parthicum tertium fuerat ſua virtute conſequutus, torques nimirum argenteas, armillas, & phaleras. M., hoc eſt *Militi*. Tum eadem dona recenſentur, quae ob bellum Judaicum ab Imperatore etiam Hadriano acceperat, corona aurea addita, quae, & armillae illum civem Romanum fuiſſe oſtendunt: hae etenim, teſte Plinio lib. XXXIII. cap. II. nonniſi Romanis civibus dabantur: *Auxiliares quippe*, inquit, *&* *externi torquibus aureis donavere*, *at cives nonniſi argenteis*. *Praeterque armillas civibus dedere*, *quas non habent externi*. *Iidem* (*quod magis miremur*) *coronas ex auro dedere civibus*.

Baſis


Basis marmorea Puteolis reperta anno superiori 1703.



Bojoniae gentis, quae ut ſuperius in Diſſertatione cap. VI. pag. 89. monuimus, ad maternam Imperatoris Antonini Pii familiam pertinet, puerum hoc ſaxum exhibet, cui ordo & populus Puteolanorum ſtatuam poſuerunt: cujus quidem fragmentum, informe tamen admodum, prope hanc baſim fuit repertum, quod puerum praetexta ornatum quodammodo praeſeferebat. ejusdem autem familiae mentio frequens eſt apud Grut., pag. nempe CLXX. 1. DXCVII. 7. DCCLXIII. 10. DCCLXXXV. 4., & DCCCLXI. 13. Quod ad Conſulatum in alio hujus baſis latere expreſſum attinet, praeter ea, quae in eadem Diſſertatione cap. IV. pag. 52. indicavi, nihil mihi eſt reliquum.

Marini, in vinea Joannis Baptiſtae Valentis.

Cippus e Tiburtino lapide quadratus.



Exſcripſi.

Ter-

Terminus iſte,qui,ut patet,in duabus ſuis partibus inſcribitur, veterem illius agri poſſeſſorem P. Pacilium declarat. Apud Reineſium Claſs.xiv.Inſcript. 50.Pacilia Vaſſilia M. Pacilii filia, & Claſs. xvi. 33. Pacilia Soſpita legitur: quae praeter illius familiae nomen, non aliquid amplius nobis innoteſcere faciunt. Is autem terminus, qui ſub terra latebat, eum modo locum occupat, quo antiquitus poſitus fuerat. novus enim ejuſdem agri poſſeſſor, vir diligens rerumque antiquarum amator nedum non perdi, ſed ne loco quidem illum amoveri eſt paſſus. altius tantum, ut in conſpectu hominum eſſet, extolli curavit. Atque non ſecus quidem de ceteris veterum aedificiorum veſtigiis ſe habet, quae ibi ingentia ubique in dies detegit. Ea enim ſervat, utque non antiquitatis amatoribus jucunda tantum, ſed ſibi quoque quodammodo utilia evadant, proprium in uſum vertit nova iis aedificia imponens; quaeque vetuſta ſunt, intacta relinquens.


Ex muſeo M. Antonii Sabatini
lamina aerea.

Ex clariſſima, deque Chriſtiana Religione optime merita Aniciorum gente vir magni nominis admirandaque pietate inſignis in hac lamina inſcribitur, Q. nempe Clodius Hermogenianus Olybrius, qui, ut placet Panvinio A. C. 395. cum Probino, & ſecundum Baronium cum Auſonio Gallo A.C. 379.


Con-

Consul processit. Olybrius tamen Probini, quem collegam habuit, frater erat: non vero Faltonii Probi Alipii, qui in veteri lapide apud eundem Baronium ad A.C. 395., & Gruterum pag. cccxcii. 5. Q. hujus Clodii frater dicitur.

Ex uno latere.



Ex altero.



Exscripsi.

Nisi igitur ejusdem Olybrii ex Praefecto Urbi, & Praefecti Praetorio alicujus forsan servi securitatis tesseram hac ipsa lamina praebeat, quid aliud secum importet, non mihi hucusque patet. V. C., *Viri Clarissimi*, qui peculiaris olim Praefecti Praetorio titulus fuerat, ut Lampridius aperte declarat in Severo Alexandro cap. xxi., ubi ait: *Prae-*

Praefectis Praetorio suis Senatoriam addidit dignitatem, ut viri clarissimi & essent & dicerentur: quod antea vel raro fuerat, vel omnino non fuerat. Hinc Gutherus de Offic. Domus Augustae lib. I. cap.IV. existimat, eosdem Praefectos sub Alexandro clarissimos incoepisse dici. Sed mihi, tanto viro sit honos, alius illius loci sensus esse videtur: quod nempe qui antea clarissimi dicebantur, dein clarissimi quoque essent, Senatoriae nimirum dignitatis viri, ut non obscure mox explicat: *Alexander autem*, inquit, *idcirco Senatores esse voluit Praefectos Praetorii, ne quis non Senator de Romano Senatore judicaret.*

In lateritio apud Auctorem.

PRIMGEN DVO
DOMTIOR SER F

Exscripsi.

Neapoli, in aquaeductu plumbeo Baiis reperto, qui servatur apud Excell. V. Principem Cellamarium.

C. CASSI CAMILI *sic*

Rondinellus exscripsit.

Ex schedis Lucae Holstenii in Bibliotheca Angelica.

MAMERTINO . ET NEBITTA CO *sic*
NONIVS . VICTOR . OLYMPIVS V. C
ET . AVR . VICTOR . AVGENTIVS
TRADIDERVNT . LEONTICA
KAL. APR. FELIC
ALIA . TRADIDERVNT . CON. SS
VI. IDVS. APR. FELIC. LEONT
CONS. SS. TRADIDERVNT
CRYPHIOS . VI. IDVS . APR. FELIC

Fontaninus exscripsit.

Inter sacra Mithriaca enumerantur *Leontica*, & *Cryphii*. Prima sic dicta, quia Mithrae Sacerdotes a Leonino vultu, quo idem Mithra in spelaeo colebatur, Leones appellabantur. Cryphii vero a specu, intra quem ejusmodi sacra agebant, qui tenebrosus & occultus. Κρύφιος enim graece *occultus* dicitur. Anno igitur U. C. MCXV., aerae Christi 362. Mamertino, & Nevitta Coss., non Nevia, ut habet Mediobarbus, Leontica, & Cryphios Nonius Victor Olympius, & Aurelius Victor Augentius FELIC. *feliciter* tradiderunt. CON. SS. *Consulibus supra scriptis*. Praeter Gruter.pag.CCCIII. 1.2., & pag.MLXXXVII. 4.5. (ubi haec & alia id genus sacra pluries ab iisdem vel ostensa, vel tradita memorantur) & Reinesium in adnotat. ad Inscript.48. Class. 1., Philippum a Turre Adriensem Episcopum adi, qui cap.v. de Mithra in hanc rem diserte admodum agit.

Chri-

Christianae.

Ex Coemeterio Calepodii, apud Ab. Franciscum Sinibaldum juvenem eruditissimum.

D. M

YPPOLITVS . Q. V. ANN.
XIII. *hic nudata imago manibus expansis.* M. VIII.
DP. V. KAL. SEP

Exscripsi.

D. M., id est *Deo Magno*, vel *Maximo*, ut Fabretto placet cap. VIII. Inscription. pag. 564. D P., nempe *d. positus*. Quae una ex notis est, qua Christianorum sepulcra nobis innotescunt, & a paganicis secernuntur.

Ibidem.

ZENOVIA QVE *sic* VIXIT MENSES
DECEM ET DIES XII DECESSIT
PRIDIE NONAS MAIAS . IN PACE.

Exscripsi.

In Coemeterio Cyriacae via Tiburtina.

☧ CONSTANTIVS DISCOLIO
FRATRI SVO BENEMERENTI
QVI VIXIT ANNIS PLVS MINVS
LXXII . BENEMERENTI IN PACE

Exscripsit Ficoronius.

☧ XP., id est: CHRISTO. Sicuti enim gentiles D. M., ita Christiani sanctum CHRISTI nomen hoc chrisimo, seu monogrammate expressum suis sepulcris quandoque adnotabant. De quo erudite disserit Burchardus Menchenius. Quoniam vero ex altero hujus lapidis latere alia extat inscriptio eademque paganica, libeat illam hic apponere:

Q. MEDICVS AVG LIB.
A SOLO SIBI FECIT
HOC CEPOTAFIV *sic* QVI
NTA VITALIS FILIA MEA
POSSIDEBET *sic* SINE CONTRO
VERSIA

Cepotafiv, hoc est *Cenotaphium*, quod hic sumitur pro sepulcro, non vero pro monumento honorario, ut alibi. Haec autem inscriptio interiorem Christiani illius tumuli partem respiciebat, ut non raro contigit. Christiani enim pauperes ad suorum cineres occludendos iis quandoque inscriptis gentilium saxis utebantur. quo factum est, ut in Coemeteriis Christianorum profanae interdum Ethnicorum inscriptiones reperiantur. Quod jam ab eruditis est observatum.

Ibi-

Ibidem.

☧ ☧ VRSVLA
ACCEPTA SIS
IN CRISTO *sic*

Ficoronius excripsit.

Romae, prope S. Sixti aedem.

OPPIAE C. L
THEANONIS
OSSA HIC
SVNT SITA AD
VII. K. IVL
GN. LENT. M. CRAS. COS.

Idem exscripsit.

Non alia me sane ratio movit Inscriptionem hanc inter Christianas commiscendi, quam Calendarum annotatio, quas Joannes Mabillonius vir doctissimus in epistola de cultu SS. Ignotorum num. VI. nunquam in paganorum tumulis se legisse meminit. Id autem secus esse, Oppiae istius inscriptio apertissime ostendit. Nota enim Gnei Lentuli, & M. Crassi Auguris Consulatus insignitur, qui ad annum pertinet DCCXL. ab U. C., & ante Christum natum fere 15.

Ibidem.

CINTIAE . B. M. IN P.
Q. V. AN. P. M. XXV. M. I.
Đ. V. DEP. Đ V. NON. O
CTOB. VALENTINIANO. AVGG. IIII

Exſcripſit idem.

Avgg., nempe Valentiniano iiii., & Valente iiii. Auguſtis Conſulibus. Qui Conſulatus ad annum U. C. mcxxvi., aerae Chriſtianae 373. in faſtis notatur.

Ibidem.

HIC REQVIESCET *ſic* QVOD VVLT DEVS HO
NESTE RECORDATIONES *ſic* VIR QVI VIO
XIT *ſic* ANNOS L.. DEPOSITVS IN PACE
DIE V IDVS OCTOBRES CONSS. DD. NN
ARCADIO AVG. QVATER ET HONO
RIO AVG TER CONSVLIBVS

Exſcripſit idem.

Conss., id eſt *Conſulibus*: quae vox abundat, quum iterum ſuo loco ſit repetita. dd. nn. *Dominis noſtris*. Horum autem Auguſtorum Conſulatus ad annum ſpectat U. C. mcxlix., Chriſti 396.

Nolae

Nolae repertum, nunc Neapoli apud D. Ferdinandum Sanfelicium.

K A L . M A R T . ☧
F O R T V N A T V S *sic*
I N P A C E

Antonius Sanfelicius dedit.

In lateritio.

INNOCENTIVS NEOPHITVS
V I X I T A N N I *sic* X X I I I

Exſcripſi.

Romae.

. . . .
. . . .
V I X . A N N . . . I I I
DECESSIT . VII . IDVS
F E B R A R I A S *sic*
AELIA . SYNCLETICE
MATER . FILIAE
B . M . F .

Exſcripſi.

Ibidem.

M A R C I A N V S
Q V I B I X I T . A N
X X I I I I . M E . I I . & I I
I N P A C E

Exſcripſi.

In Coemeterio Cyriacae.

IRENEVS VIXIT ANNOS XVI
DEFVNCTVS *sic* EST V IDVS
FFBRARIAS

Fontaninus exscripsit.

Ibidem.

IANVARIVS LIBERIAE
COIVGI IN PACE

Exscripsit idem.

Ibidem.

MIRAE INNOCENTIAE DRA
CONTI QVI *sic*
VIXIT ANN. V. M. X. D. XI
DORMIT IN PACE

Exscripsit idem.

Ibidem.

TIMOTEVS *sic* ET PANNOSVS LAZA
RO DVLCISSIMO FRATRI
MERERENTI *sic* VIXIT ANNIS
P M XXVIII HABVIT VXO
REM IN PROV. HISPA
NIA MENSES DVO
QVIESCIT IN PACE

Exscripsit idem.

Ibi-

Ibidem.

D O M I T I
I N P A C E
L Є A F Є C I C̄ *sic*

Exscripsit idem.

Romae, in Basilica S. Pauli.

ABIENTIA . CESQVET IN PACE
DEPOSITA . XIII. KAL. MAR
QVAE. VIXI *sic* ANNIS L MEN. I. IDIES *sic* VII

Rossinus exscripsit.

CESQVET, pro *requiescit*. De quo paganica inscriptio exemplum aliud praebet in Thes. Gruteri pag. DLXIX. 12. IDIES, pro & *dies*.


FINIS.

OMISSA.

OMISSA.

Ad inſcriptiones Votivas adde:

Baſis e Tiburtino lapide in vinea J. Baptiſtae Valentis prope Marinum.



Exſcripſi.

Baiis prope Piſcinam mirabilem.

DEO MERCVRIO . EX . VOTO . LIBES *ſic* SOLVIT
L. PONTIVS . SEVERVS . . . . I . . D . . . .

Antonius Sanfelicius dedit.

In lamina aerea nuper in Latio reperta prope Lugnanum.

GN. FLACCVS Q FVL F DE
CVMAM PARTEM HERCV
LI ET PRO REDITV FELI
CISSIMO EX AFRICA VI
BI FRATRIS ET PRO SAL
PETINAE MATRIS SIGNA
AVREA FORTVNAE PRAEN
ET FERONIAE SANCTIS
SIMAE DD T VINIO COS

Ficoronius dedit.

DECVMAM PARTEM HERCVLI., id eſt decimam ſuorum bonorum partem Herculi dono dat. Ea enim erat divitum conſuetudo, ut Herculi voventes decimas ei offerrent. Unde Plautus in Bacch. act. IV. ſc. IV. verſ. 15.

Si frugi eſt, Herculem fecit ex patre: decumam partem ei
Dedit, ſibi novem abſtulit.

& in Trucul. act. II. ſc. VII. verſ. 10.

Nam jam de hoc obſonio, de mina una deminui
Modo quinque nummos: mihi detraxi partem Herculaneam.

FORTVNAE PRAEN. Fortunae Praeneſtinae, de cujus templo, & ſortibus quae dici poſſunt Suareſius erudite congeſſit. FERONIAE. Junoni nempe virgini, de qua Vergil. Aeneid. lib. VII. verſ. 799.

quis Juppiter Anxurus arvis
Praesidet, & viridi gaudens Feronia luco.

Ad quod Servius: *Apud Circeos & Rutulos Juno virgo colebatur, quae Feronia dicta est.* T. VINIO COS. hoc est anno U. C. DCCCXXI. a Parilibus, aerae Christianae 69. In Consulatibus ordinariis adnotandis tritum est admodum eruditis, quod si alter Consulum post initum Calendis Januariis Consulatum e vita excesserat, adhuc tamen ejus pariter nomine annus reliquus decurrebat, uti de hoc ex Fastis Consularibus innumera propemodum exempla desumi possent. Quae regula tamen hic servata non esse videtur. Galba enim, postquam menses septem, & dies totidem imperaverat, decima quinta hujus secundi sui Consulatus die extincto, quia T. Vinius Crispus ejus collega solus in Consulatu remansit, ejus propterea nomen tantum in hac lamina signatum fuisse credimus. In aliis autem Inscriptionibus, quae extant apud Gruter. pag. CLXXXIX. 3. 4. eodem Consulatu insignes, Galbae nomen nusquam omittitur.

Ibi-

Ibidem, ex museo M. Antonii Sabatini.
Lamina aerea.

M·MINDIOS·L·FI
P·CONDETIOS·VA·FI
AIDILES·VICESMA·PARTI
APOLONES·DEDERI

Apollini vigesimam suorum bonorum partem veteres vovisse, haec lamina monet, quae quidem ex caracterum praecipue ductibus, antiqua admodum arguitur. *Apollones* pro *Apollini*: *Vicesma parti* pro *vigesimam partem*: *Dederi* pro *dedere*. De quo apud Gruterum exempla non his omnino dissimilia habentur.

Ad Sepulcrales :

Romae, olim in aedibus Fabretti.

D . M

C. LVCILI . HESPE

RINI . QVI . VIX. AN

N. XVI. DIB. *sic* VI

ET . I. FRVGINI QVAR

TI . FECIT . PRIMITIVVS

GLVCERI . AVGVSTI . VIKARIVS

Fontaninus exſcripſit.

AVGVSTI . VIKARIVS . , ſervus nempe, qui Auguſto ſuam pro alio vicariam operam praeſtabat. Atque ita apud Gruterum, Reineſium, & Fabrettum non in Auguſtorum tantum, ſed in aliorum etiam privatis familiis non unus vicarius ſervus occurrit. De quibus jocoſe Horat. Serm. lib. II. ſat. VII. verſ. 79.

Sive vicarius eſt, qui ſervo paret; uti mos
Veſter ait, ſeu conſervus.

Neapoli, in hortis Antonii Judices Principis Cellamarii viri antiquitatum amantiſſimi.

D . M.

IVLIAE . PETRONIAE . NATIOn

ITALAE . QVAE . VIXIT . ANN XXVIIII.

M. II. D. XXIIII. CONIVG. AMANTISS.

M. AVREL. MARCIANVS. MARIT. B. M. F.

Rondinellus.

Romae,

Romae, in aedibus Columnensibus.

...ALVIO . M. L. SECVNDO
...MMVLARIO . DE CIRCO
FLAMINIO
...A. M. L. PHAEDIME . PATRON
... SVIS QVE

Exscripsi.

Inscriptionem hanc ita supplendam esse putamus. *M. Salvio M. L. Secundo Nummulario de Circo Flaminio Salvia M. L. Phaedime Patrono B. M. suisque*. Nummulariorum autem munus quod fuerit Gutherius explicat lib. III. cap. XIX. de Offic. Domus Augustae, aitque vel nummorum permutatores, vel eorumdem aestimatores fuisse.


SAC.
D
M
PETILIAE
CHRESTENE
VIX.A.XXIIX.Q.
ARRENIVS PRI
MITIVS CONIVGI
KARISSIMAE
FECIT.ET SIBI
POSTERISQ.

DEORUM . VIRORUMQUE ET . MULIERUM . NOMINA

ET . COGNOMINA . IN . INSCRIPTIONIBUS CONTENTA .

Chriſtiana hoc † ſigno praenotantur . Prior numerus paginam; alter illius paginae Inſcriptionem denotat .

A

Q. *Ae-*

L. Ati-

B

Clau-

M. Iu-

C. *Mar-*

N

Nonius

Som-

Vale-

Vetu-

Officia . Artes . et . Professiones

A

Aephe-

Gn.

INDEX

RERUM.

A

D

C. Dui-

Mont-

R

S

T

Tibe-

FINIS.

PRAE

PRAE. CETERIS. CORRIGENDA
& mutanda.

pag. lin.

In Praefatione.

3. 3. dele: *etiamnum*
4. 3. omne
5. 25. quasi excitet

In Dissertatione.

4. 4. desidiosus
12. 18. Syeniten
20. Sylva II. verss.26.
13. 8. AVG.
16. 11. Quam proinde
17. 8. Gruchius
23. 27. Hos tamen
24. 6. edita
25. 15. a viro illustrissimo doctissimoque Marcello Severolio, quem honoris atque obsequii caussa nomino
28. 14. nimis longe
23. consecratus
29. 5. lib.VI.
30. 14. ex margine irrepserint; vel cum aliis a Panvinio addita fuerint.
35. 27. aliasque
37. 26. prodito, qui
40. 2. nummis & consecrati
41. 4. Λ. dimidiatum
59. 1. Ptolemaeo
61. 12. nudatum conspicitur
26. dele *quoque*
68. 20. *ceteros*
70. 3. Θεοὶ
79. 20. Arma Deus
82. 22. *lege*: Verum quod ille ab omni prorsus ambitiosa quum Dei, tum Domini appellatione abstinuerit,
85. 3. lib. IV. de Ponto epist. IX. vers. 27.
6. superis adscite
9. sollicito quas
96. 19. At pius
98. 24. γηροβοσκεῖ
103. 12. Tam hic, quam alibi pro; *Iacobus Biaeus*; lege: *Ioannes Hemelarius*, cujus nomen in priori Antuerpiensi editione, qua utebar, reticetur.
120. 13. τοὺς
14. χρόνους
127. 7. dele: *Seguinus notatus.*
140. 14. Secundum Herodianum
147. 20. ad illius Auguratum declarandum
148. 17. Arvales
152. 3. quasi excitantem
153. 24. effictae
154. 27. πεζοὶ
155. 8. ἐνεκτερεῖξαν
158. 8. ἐπεῤῥώννυε τὸν
160. 7. κατὰ
8. ἀρχαῖον
14. ut Leunclavius vertit,
173. 12. non ita pridem
175. 2. T. Avonio Marcellino
21. Phrygio

176.

pag. lin.

176. 2. apud rei nummariae

10. Πατὴρ

185. 19. *post* prodit; *lege* : digna quidem, ut inter ignotorum atq; obscurorum Deorum aras fuisset a Sponio conlocata

188. 2. τὴν Διός

191. 24. PVTE*olanorum*

201. ult. *quintae Praetoriae*

208. dele Inscriptionem postremam, quae integra habetur pag. 223.

210. 23. LIBERTABVSQVE

212. 19. *Oufentinae*

226. dele Inscriptionem III., quae cum anaglyphis aeri incisa extat pag. 274.

238. ult. *omnibusque*

258. 2. *Primae Inscript.* L. *Pas*-*si*ENO L. F. MAGNO

281. 14. BENEMERENTI

296. 3. *Marte.*

303. 14. *Neapoli*

315. 23. *In aquaeductu*

332. 11. post *Ibidem* ; adde : *in porticu S. Mariae trans Tiberim.*

12. QVODVVLDEVS

332. 14. L 5. non vero LVI. Quam vero Inscriptionem a U. C. Bernardo Montfauconio in Diario Italico relatam nunc observo.

pag. lin.

335. Hujus etiam paginae Inscriptio II., ut postea animadverti, in libro veterum Inscriptionum Basilicae S. Paulli legitur: qui tamen liber quum non ita sit obvius, atque eadem Inscriptio non ibi fuerit in duobus locis, ut patet, religiose excepta, haud propterea me illam iterum edidisse paenituit. Praeter has vero, si qua insuper ex nostris Inscriptionibus antea fortasse ab aliquo evulgata occurrat, mihi lector ignoscat, rogo. praeter Gruterum nanque, & Reinesium, nec Sponium, nec Fabrettum, qui suarum Inscriptionum Indicibus carent, neque alios, qui praeter institutum antiquas Inscriptiones suis operibus inserunt, consulere fuit ocium.

342. Inscriptioni praemitte: *Romae in vinea Moroni.*

In Indice Inscriptionum.

Lit. A. *Q. Arrenius Primitiuus* 342.

C. Τι. Κλαύδιος Ὀπσιμος

I. adde : *Ti. Iulius Narcissus* 215. I.

P. dele : Pius Marullus.

V. M. Ulpius Marullus 200. II. adde: 254. I.

In Indice rerum.

Lit. B. Bellorius : Joannes Petrus 75. & 117.

C. Ciaconius. Alfonsus. pro Columna Aurelia.

Menda autem reliqua ad rectam praecipue Graecorum accentuum rationem spectantia, quae non semel quidem typorum correctoris oculos fugerunt, si tibi id operae precium videbitur, lector, emenda.

R O M A E

Apud FRANCISCUM. GONZAGAM ante aedem S. Marcelli in via LATA.

M D C C V.

APPROBATIONE. ET. PERMISSU.